3 1761 04727395 8

NICOLAI PETRI SIBBER

Regii ad arcem Glückſtadienſem Conci
natoris aulici

BIBLIOTHE
CA HISTORICA
DANO-NORVEGIC

Sive

De Scriptoribus rerum Dan
-Norvegicarum Commentarius Hiſto-
rico Literarius.

HAMBURGI & LIPSIÆ,
Impenſis CHRISTIANI LIEBE

ANNO MDCCXVI

Z
2557
S56

LIBRARY
MAY 11 1965
UNIVERSITY OF TORONTO

981062

VIRIS GENEROSIS,

Conſiliis, Prudentia, Eruditione & Integritate

ILLUSTRIBUS,

Cimbriæ noſtræ Rectoribus,

DNO. CHRISTIANO GODFRIED de JOHN,

Regio Conſiliario Status, & Regiminis Supremi Glückſtadienſis Vice-Cancellario,

DNO. FRIDERICO ULRICO de SÖHLENTHAL,

Conſiliario Status, Juſtitiæ & Regiminis Regio.

DNO. IACOBO JOHANNI de WASMER,

Conſiliario Status, Juſtitiæ & Regiminis Regio.

DNO. HENRICO POHLMANN,

Conſiliario Juſtitiæ & Regiminis Regio.

DNO. DIETERICO MARCO LENTE,
DNO. GREGORIO HENRICO GöRSSEN,
DNO. JOHANNI ANTONIO WARDENBURG,
DNO. JOACHIMO WOLTERS,
DNO. GEORGIO SCHRöDER,

Regiis Cancellariæ & ſupremi Regiminis Conſiliariis.

DOMINIS SUIS GRATIOSIS,
Mæcenatibus, ac Patronis omni obſervantiæ genere æternum colendis,
Bibliothecam hanc Hiſtoricam
Dano-Norvegicam
Ut
Obſequii & grati animi aliquod exſtaret monumentum,
Cum ſerio omnigenæ felicitatis voto
dicat & conſecrat,
AUCTOR.

PRÆFATIO.

PErplures, Benevole Lector, fuerunt, qui Scriptorum rerum Danicarum Catalogum meditati aliquando ſunt, ſed injuria temporum nihil hactenus ad nos pervenit, cum auctores vel morte præventi labori finem imponere non potuerint, vel alias ob cauſas conſilium cœptum poſtea mutaverint. M. Andreas Voſſius, Bergenſis in Norvegia Epiſcopus, primus, procul dubio, fuit, qui materiam hanc tractandam ſibi ſumſit, ejus quippe Catalogus *ſcriptorum, qui rerum Danicarum fecerunt mentionem, affectus*, Claudio Lyſchandro memoratur. Idem Claudius Lyſchander, Parochus Herföglienſis & Regis Chriſtiani IV. Hiſtoriographus, Indicem *ſcriptorum regni Daniæ & provinciarum ejus ad A. C.* 1610. perduxit, qui itidem ἀνέκδοτος apud varios latet, de cujus tamen ordine & ἀκριβείᾳ egregie diſſeruit Clm. Mollerus in Hypomnematibus ad Bartholini librum de Scriptis Danorum p. 2.

ſqq. Poſt hunc Vir Summè Reverendus Dominus Hector Gottfriedt Maſius, Academiæ Hafnienſis Theologus & Auguſtiſſimi Regis Daniæ Concionator Aulicus, Anno 1709. defunctus, librum *de Hiſtoricis Daniæ & Norvegiæ, nec non de Bibliothecis in Dania publicis & privatis*, pollicitus eſt, ſed fato impeditus promiſſum publico exſolvere non potuit. Omnium tamen horum induſtriam, procul dubio, ſuperaturus eſt, Otto Sperlingius, Junior, Conſiliarius Regius Hafnienſis, qui jamdiu prelo maturum premit *Catalogum Hiſtoriæ Danicæ ac Suecicæ Sectionibus XV. abſolvendum*, quarum I. Hiſtoriam Univerſalem. II. Particularem. III. Eccleſiaſticam, IV. Regum ſingulorum, V. Epiſcoporum, VI. Abbatum, VII. Eccleſiarum, VIII. Monaſteriorum, IX. Civitatum, X. Virorum & fœminarum Illuſtrium, XI. Legum, XII. Linguæ, XIII. Poëticæ, XIV. Runarum, XV. Rei nummariæ ac antiquariæ hiſtoriam tradit. Sed vereor, ne opus hoc egregiæ exſpectationis cum aliis ejusdem VIRI Clariſſimi affectis, pereat, auctore octogenario, valetudinario & ad tanta abſolvenda jam tum defeſſo. Cœterum pauci admodùm ſunt, qui Scriptorum rerum Danicarum memoriam nobis hactenus conſervarunt. Solus Clariſſimus Johannes Mollerus in erudita, de Gentium Borealium in literas meritis, præfatione, Bartholinia-

ſiniano de Scriptis Danorum operi, præfixa, non pauca de Scriptoribus rerum Danicarum erudite, pro more, notavit, quam & nos variis in locis conſuluiſſe grata profitemur mente. Idem Cl. Mollerus in laudatiſſima Introductione ad notitiam Cherſoneſus Cimbricæ variis de Scriptoribus Danis notatu digna congeſſit, paſſimque inſperſit. Reliqui, qui Scriptores rerum Danicarum, recenſent, breves admodum ſunt, & ut hic enarrentur, vix merentur. Tales ſunt Illuſtris quondam C. S. Schurtzfleiſchii Res Danicæ, reſpondente Joh. Theod. à Rummel, Equite Curlando, in Academia Wittembergenſi expoſitæ, quæ inter ejus diſputationes Hiſtorico-Civiles Lipſiæ 1699. 4to junctim editas, locum obtinent decimum quartum. Quæ porro de rebus Danicis earumque Scriptoribus Chriſtianus Gryphius in tractatu de Scriptoribus Hiſtoriæ Seculi XVII. & Burcard Gotthelff Struvius in Bibliotheca Hiſtorica notarunt, levia ſunt, & ab omnibus facili ope evolvi poſſunt.

Huc etiam pertinent, quæ de Scriptoribus rerum Danicarum notavit Nicolſonus in Biblioth. Angl. T. I. cap. V. p. 129--147. ubi ſcriptores Danos recenſet, qui de rebus geſtis inter Danos & Anglos commentati ſunt. Taceo Johannem Suaningium, qui in Prolegomenis Chronologiæ Danicæ §. VI. Indicem Scriptorum Daniæ, quanquam imperfectum, exhibet, nec non Thomam Bartholinum, Juniorem, cujus liber I. de cauſis contemptæ mortis cap. XI. de antiquiſſimis Septentrionalium Hiſtoricis conſulendus erit.

Ut vero hæc Scriptorum Danicorum penuria ali-

aliquomodo reſarciretur, ego dum ante annos quatuor per aliquot menſes Hafniæ commorarer, id imprimis agendum mihi duxi, ut Scriptores Danos exteris parum aut nihil notos inſpicerem, & ordine, quoad fieri poſſit, juſto diſponerem. Socium laboris & operæ meæ nactus ſum Virum Præ Nobiliſſimum & Doctiſſimum Dominum CONRADUM WIERICHS, Præfectum hodie in Ducatu Bremenſi, Hagenſem, hominem ad promovenda & excutienda hiſtoriæ Danicæ Studia omnino natum; Is enim ſtudia mea conatusque juvit eniximé & ut argumentum hoc diligentius inquirerem, ſedulo hortatus eſt; nec operam ſuam in colligenda hac Bibliotheca unquam mihi denegavit. His rationibus adductus, operi manus admovi, ſi vel hac ratione poſſem alios doctiores præſertim Danos excitare, ut de materia hac luculentius exponenda conſilium caperent operasque ſuas & ingenia, ad quævis majora nata, exercerent. Firmiſſima certe antiquitatis præſidia conſtitui, & multi auctores ignoti hactenus ab oblivione vindicari poſſunt, ſi de excutienda patriæ antiquitatis penu conſilium capere vellent Danorum eruditi.

Interim hiſce conatibus noſtris gaude & fruere, benevole Lector, & ſi hæc non omnino ingrata fuiſſe intellexerimus, brevi tempore, Deo volente, Scriptores aliquot rerum Danicarum hactenus ineditos uno & juſto volumine à nobis comprehenſos, notisque brevioribus illuſtratos, expecta. Vale. Scribebam Glückſtadii, d. 6. April. Año 1715.

CAP. I.

Caput I.

SECTIO PRIMA
DE
Antiquiſſimæ Hiſtoriæ Septentrionalis fundamentis.

§. I.

De Scriptoribus, qui res Danico-Norwegicas literis mandarunt, commentaturi, ante omnia obſervabimus, quæ vetuſtiſſimi Septentrionalium adminicula habuerint, nominis ſui memoriam conſervandi, antequam literarum notitia ſcribendique uſus ad eos pervenerit, & quibus ex fontibus, qui poſtea hiſtorias dederunt easdem hauſerint. Quorum quamvis diverſæ & de origine gentis primisque ejus conditoribus, & de Regum ejusdem ordine ac ſerie aliisque capitibus ſint ſententiæ, in eo tamen omnes planè conſentiunt, nominis propagandi antiquos ſtudioſiſſimos fuiſſe, modosque varios, quibus ad hunc ſcopum uſi ſunt, omnes fatentur.

§. II. Hos inter modos primò nobis occurrunt *Saxa, grandioresque lapides* in rei geſtæ memoriam conſtituti, quos propriis ſæpe viribus è terra levatos ſibi erexerunt. Succedunt *monumenta funerum*, quando tempore combuſtionis (Bruna Old dicto, cum cadavera igne in cinerem redigerentur) tumulos congeſtos & poſtea tempore collium (Haugs Old quo corpora integra in collibus ſepeliebantur) à defunctis eosdem denominarunt, imò integris regionibus variisque locis nomina defunctorum impoſuerunt, ut de Eponymis ſuis teſtarentur. Geſta porro ſua in clypeis & ſcutis, quæ geſtabant, cælarunt pinxeruntque, parietibus itidem domorum inſculpſerunt aut etiam alii ligno imò aulæis intexuerunt, donec ſcribendi uſus paulatim innoteſceret, ubi monumentis ſepulchralibus (Bauteſteiner dictis, quæ quaſi trophæa & arcus triumphales erant) Epitaphia addiderunt, defuncti titulos & geſta continentia, quorum reliquias in Dania & Norwegia Olaus Wormius collegit in Danicorum Monumentorum Libris VI. & Joh. Meyerus in monumentis Runicis MSSis. In Suecia vero obvias recenſuit Buræus, Olaus Verelius & alii. Ingentibus Saxis in memoriam actorum erectis facta inſcripſerunt, atramenti indelebilis genere ex pice, ſanguine Phocarum & ſimilibus confecto ad id uſi, Adelruni ſeu Scaldri, quorum inſcriptiones has conficere inter alia fuit munus.

§. III. Sed parum hæc cuncta fortè ad juſtam

juſtam hiſtoriam faciunt, veniamus ergo ad pleniorem fontem. A Poeſi ſumſit initium hiſtoria apud Germanos, Longobardos, Chaldæos, Græcos, Romanos &c. ex carminibus etiam Poetarum ſeu Scaldorum cuncta Septentrionalium Hiſtoriarum deprompta ſunt volumina.

§. IV. Erant hi *Scaldi* apud Heroes Boreales antiquisſimis temporibus maximo in honore, ſeligebantur ii, qui ingenio, facundiâ, fide præſtabant, rerumque togæ & ſagi experientiſſimi erant; potentisſimorum Regum conſiliarii pariterque ad arcana admiſſi negotia eorum & jura, fœdera & bella cognoſcebant; contra hoſtes ipſi armis utebantur, alios ad pugnam carminibus incitabant, ingenioſiſſimis Poematibus Regum vitas & facta conſignabant, eaque erant promptitudine, ut ex tempore ſcitos, de quacunque re vellent, verſus poſſent fundere; atque cum Islandi reliquos omnes hac arte præſtarent, ii ad hoc potisſimum adhibiti ſunt à Regibus Daniæ Norwegiæ & Sueciæ; quin etiam ipſi Reges exemplo Caroli M. Poeſi ſtuduerunt.

§. V. Subjicere hic liceat Catalogum Poetarum, quem ex antiquo ævo conſervatum Snorronis Sturlæi Chronico Norwegico & diſſertationi de priſca Danorum Poëſi Danicæ Literaturæ antiquiſſimæ ſubnexæ adjunxit Olaus Wormius.

SCALDATAL.

i. e.

Catalogus præcipuorum Scaldrorum ſeu Poetarum Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ, qui geſta Regum conſignarunt literis.

Danorum celebriores hi fuere Scaldri:

STarkaterus Senior, Scalder fuit, ejus Rythmi ſunt vetuſtiſſimi & adhuc extant. Ille verò potiſſimum res geſtas Danorum verſibus complexus eſt.

Hiarno Rex, qui ob Epitaphium Frothoni Regi poſitum diademate Regio ornatus.

Ragnerus Lodbrog, Scaldar erat, ut Uxor ejus *Aslaug* omnesque ejus filii.

Sub Ragnero Lodbrog floruit *Bragde Scald*, Senior, Boddæ filius

Sub Canuto parvo S. Loddinknut { *Teitur Scald*, *Rodgeir Aſtaſon*, *Thoralfur Preſtur*, *Olaus Thordarſon*

Sub Suenone Tiuskeg --- *Ottar Suarte*

Sub Canuto divite aliàs magno { *Siguardus Scald*, *Ottar Suarte*, *Thoraren Lofftunge*, *Halvardur Harecksbleſe*, *Berſe Torfaſon*, *Steino Scaptaſon*, *Arnor Jarta Scald* & *Odar Keptur*

Sub

Sub Suenone Alviſi --- *Thoraren Lofftunga*
Sub Suenone Ulſi ſeu Eſtritis { *Thorlacus Fagre* / *Thordurus Kolbeinſon*
Sub Canuto Sancto { *Kalfur Mannaſon* / *Skule Illaguſon* / *Marcus Skeggiaſon*
Sub Erico Ejmund --- *Haldor Squaldre*
Sub Suenone Gratehede --- *Einarus Skulaſon*
Sub Valdemaro Canuti { *Thorſtein Kropper* / *Ambaldur Thorwalſon*
Sub Canuto Valdemari -- *Thorwardur Thorgeirſon*
Sub Valdamaro Seniore { *Olaus Thordari* / *Jatgeir Thorſaſon* / *Thorgeir Dana Scald* / *Sugu Walde.*
Sub Stratharaldo Barone -- *Thiodolfur UrHuine*
Sub Sigwaldo Barone --- *Thordur Sigualduſcald*
Sub Harecko Thorgilli --- *Thiodulfur Arnaſon*
Sub Thorleiffo Hinſpake --- *Thiodolfur UrHvine*

Hi Danis adſcribuntur.

§. VI. Scaldri Regum & Dynaſtarum Norwegiæ.

Thiodulfur Hin Hvinverske cecinit de Ragnwaldi progenie & Ynglingorum ſerie, rebus geſtis Haraldi Harfageri ejusque XXX numeravit Proavos, eorumque ſigillatim deſcripſit & obitus & ſepulturas.

Sub Haraldo Harfa-ger floruerunt {
Audur Idskiälda
Thorbiorn Hornkloffeſe
Olver Nutha
Thiodolfur UrHvine
Ulfur Sebbaſon
Guttormur Sindre

Sub Erico Blodox {
Eigillus Scallagrimi
Glunur Geiraſon

Sub Haldano Suarte --- Guttormur Sindre

Sub Haquino bono {
Evindus Scalda-Spiller
Gutormur Sindre

Sub Haraldo Grafeldur {
Glumur Geiraſon
Kormakur Ogmundarſon

Sub Olao Tryggonis {
Halffrodur Wandræda Scald
Biorne Scald

Sub Olao Sancto {
Siguardur Thordarſon
Ottar Suarte
Berſe Torfuſon
Thordur Kolbeinſon
Thorfinnur Munnur
Thormodur Kolbrunar Scald
Giſſor Gulbra
Hoffgarda Refur
Scapta Thorrodſon
Thordor Siareckſon

Sub

Sub Magno Bono
- Siguardus Skald
- Arnerus Baro Skald
- Oddur Kikkina Skald
- Reffur Skald
- Thiodulfur

Sub Haraldo Siguardi
- Thiodulfur Arneſon
- Bolverkur frater ejus
- Valthiofur
- Odur Kikkina
- Stufur Cocus
- Arnerus Baro Skald
- Illuge Brynota Skald
- Grane Skald
- Snoglu Skald
- Thorarin Skieggiaſon
- Watgardur af Wellé
- Halle Stirde
- Steino Herdyſarſon

Sub Olao Kyrre
- Steino Herdyſarſon
- Attle Lille
- Wilborg Skald

Sub Magno Barfod
- Thorchillus HamarSkald
- Ivarus Igmundi
- Biõrno Krepelhende
- BardurSuarte
- Gisl Illugaſon

Sub Sigvardo Jorſälafer	Einarus Skulaſon Ivarus Igmundi Haldor Squaldre Thorarer Statfelder Thorwaldur Blonduskald Arne Fioruskeifur
Sub Eiſteino Magni	Ivarus Igmundi Einarus Skulaſon
Sub Haraldo Gille	Einarus Skulaſon Haldor Squaldre Hallur Monachus
Sub Magno Cœco ---	Einarus Skulaſon
Sub Sigwardo Slambe	Ivarus Igmundi Einarus Skulaſon Thorwardus Thorchilli
Sub Ingone Haraldi ---	Kolle Skald
Sub Siguardo Haraldi	Einarus Skulaſon Bothvar Balte Thorbiörn Gaus
Sub Eiſtino Haraldi	Einarus Skulaſon Sigvardus Skraute
Sub Magno Erlingi	Thorbiörn Skaka Skald Sugante Skald Hallur Snoraſon Marcus Stephani Thordur Halſon Skald Mane

Sub

Sub Haquino Herdebreider ---- Thorbernus Gaus

Sub Suerone Rege:
- Asgrimus Ketilli
- Thorſtein Thorbiörni
- Sumar Lide
- Arnor Saxaſon
- Halbiörn Hale
- Blokers Skald
- Unas Stephani
- Liotur Brage
- Snorre Sturlæſon.
- Sigwarther Eigelſon
- Snorre Butſon
- Thorbiörn Skakaskald

Sub Aquino Suerri:
- Liotur Skald
- Bragè Halſon

Sub Ingone Barde filio:
- Snorre Sturlæſon
- Liotur Sumarlidaſon
- Jadgeir Thorfaſon
- Hoskulder Blinde
- Runolfur

Sub Haquino Haquini:
- Snorre Sturlæſon
- Olafur Thordarſon
- Sturla Thordarſon
- Jadgeir Thorfaſon;
- Giſſor Jarl
- Arne Lange
- Olaus Segſon

ub Haquino Haquini Regis coronati filio --- Olaus Thordarſon

Evindus Skalda Spiller cecinit de Haquino divite, quod carmen vocarunt Haleigiatall, ejus enim proavos usque ad Othinum enumeravit, eorumque ſigillatim deſcripſit & obitus & ſepulturas.

Sub Haquino Barone Gutormi filio --- Thiolfur UrHvine

Sub Siguardo Ladarjarl --- Kormakur Ogmundarſon

Sub Haquino Barone divite:
Evindus Findſon
Einarus Skalaglam
Thindur Halckelſon
Scapte Thorrodſon
Thiodolfur Munnor
Eylyfur Gædrunarſon
Thorleiffur Skald
Hyanar Kolfur

Sub Erico Barone Haquini filio:
Halfrodur VandrædaSkald
Sunlögur Ormſtunga
Thordur Kolbinſon
Haldor Uchriſtne
Eyolfor Dadaskald
Schule Torſteinſon
Thordur Siaregſon

Sub Suenone Barone Haquini filio ---- Berſe Torfaſon

sub Erlingo Skake:
Thorbiörn Skakaskald
Sugande Skald

Sub

Sub Haquino Galin	Snorre Sturlæſon Steino Ofeigſon Liotur Skald Thorſtein Egolfſon
Sub Schulone Hertogee	Snorre Sturlæſon Olaus Thordarſon Jargeir Skald Liotur Skald Alfur Eyolfson Sturla Bardorſon Gudmundur Oddeſon

§. VII. Scaldri Regum & Dynaſtarum Seciæ

Sub Eiſteno Sancto	Bragde Senior Grunde Strude Erpur Lutande Kalfur Thronske Refur Raske Ormur Oframe Olvalde Avalde Flein Skald Rögn Waldur
Sub Biornone Ad Hauge	Bragde Senior Erpur Lutande
Sub Erico Tæfeli filio	Alfur Jarl hin Lidle
Sub Stur Biörnone forti	Ulfur Sulo Jarl
Sub Erico Victorioſo	ThorWaldur Hialtaſon

Sub

Sub OlaoFonske { Gunor Laugur Ormſtunga
Rafn Omundarſon
Giſſer Suarte }

Sub Omundo Olai filio --- Siguardur Skald Thordarſon

Sub Ingone Stenchilli { Marcus Sægiaſon
Logſogn Madur }

Sub Suerkero Kolſon { Eynar Skulaſon
Haldor Squaldre }

Sub Canuto Erici { Halbiörn Hale (ſon
Thorſtein Thorbiarnor- }

Sub Suerkero Caroli filio { Sumar Lidaskald
Thorgeir Danaskald }

Sub Erico Canuti --- Grane Hialbranarſon

Sub Erico Erici --- Olaus Thordarſon

Sub Jona Barone Suerkeri filio { Eynar Skulaſon
Haldor Squaldre }

Sub Sona Barone Ivari filio --- Haldor Squaldre

Sub Carolo Barone Sonæ filio --- Haldor Squaldre.

§. VIII. De eruditione horum omnium veterumque Septentrionalium non eſt quod dubitemus; ſi enim *Jornandem* audimus, omne doctrinarum genus priſci Gothi (Septentrionalis populus) didicerunt; & *Dio*, qui Græcè eorundem annales compoſuit, eos barbaris omnibus ſapientiores Græcisque conſimiles ipſe Græcus teſtatur, vid. Jornand. de rebus Geticis

ticis edit. Lindebrog. p. 86. *Sigebertus quoque Gemblacenſis*, Philoſophiæ diſciplinis eruditos, humanitate & honeſtate aliis gentibus præeminuiſſe fatetur. Optimum de ipſorum ſapientia omnique exceptione majus teſtimonium perhibent, quæ ſuperſunt, illorum carmina, Hiſtoriæ & Mythologica, in quibus forte non minus ingenii reconditum eſt, quam in Græcorum Romanorumque fabulis, conf. Clmi Molleri præfationem Apologeticam ad Bibliothecam Septentrionis eruditi §. X. pag. 22. ſqq.

§. IX. Præ cæteris verò Poeſin in honore habuerunt veteres Septentrionales, quâ unico fere annalium genere utebantur, & carmina componebant de Regum Heroumque factis, quibus vel ipſi interfuerant, vel quæ didicerant ex relationibus fide omninò dignis; compoſita deinde in magno Principis & Procerum aulæ conſeſſu canebant, poſtea hiſtoriam carmine breviter & Poeticè traditam longiori diſcurſu explicabant, interpretabanturque artificia in Poëmate adhibita. Ipſi Reges ejusmodi carmina didicerunt, & filios ſuos docere juſſerunt, ut Majorum ſuorum res geſtas, vitam, mortemque ſcirent, haberentque in numerato, quæ imitarentur, virtutum exempla. Latius hæc omnia deducunt, exemplisque & autoritatibus probant *Bartholinus* de cauſis contemptæ à Danis adhuc gentilibus mortis lib. I. cap. VIII. IX. X. *Torfæus* in Serie Dynaſtarum & Regum Daniæ Libr. I. cap. 6. & in præfatio-

fatione ad Hiſtoriam rerum Orcadenſium. *Olaus Wormius* in præfat. ad Snorronis Sturlæi Chronicon Norweg. *Steph. Joh. Stephanius* in notis ad Saxonem p. 12-14. *Claud. Lyſchander* in dedicatione operis Genealogici p. V.--XIV. quibus adde *Clmi Molleri* Hypomnemata ad Barthol. de Script. Dan. p. 151. 152.

SECTIO SECUNDA
De

Scriptoribus Hiſtoriæ Danicæ Univerſalibus, ſecundam hypotheſin vulgarem.

§. I.

Videamus nunc de ipſis Hiſtoricis. Ante vero quam ipſi Septentrionales Hiſtoriæ ſcribendæ manum admoverunt primò Græci Romanique Scriptores illorum res attigere, quæ ex illis excerpta in unum volumen colligere forte non inutile foret, exemplo *Conringii*, qui veterum monumenta de antiqua Germania conjunctim edidit, & *Pontani*, qui in Chorographica Daniæ deſcriptione, quæ Strabo, Ptolomæus aliique veterum de Septentrione Geographica reliquerunt, congeſſit. Præcipua forte ſunt, quæ de *Illuſtri expeditione Cimbrica* memoriæ tradiderunt veteres modò nominati, quam domeſticis annalibus ignoratam illi plerique omnes commemorant, imò quidam ex inſtituto celebrarunt

runt allegati à *Clmo Mollero* in Introd. ad Hiſt. Cherſ. Cimbr. Part. I. p. 46--53. it. præfatione nova p. 38. ſeqq. nec non in addendis p. 286. ſq. ut & in recentiorum belli Cimbrico-Romani deſcriptionibus locis dictis itidem citatis, quibus addantur *Schurtzfleiſchii* diſſert. de rebus Danicis §. 1. not. 6. & diſſertatio Hiſtorica de Cimbris & Teutonis primis Romanorum ex Germania hoſtibus dirigente *Chriſtoph. Cellario* expoſita à *Frider. Andr. Peterſen*, Glucksburgenſi, Halæ 1701. 4to. quæ ex Græcis Romanisque auctoribus Cimbrorum gentem, ſedes, cauſam migrationis, migrationem ipſam, ſex clades Romanis illatas, donec binis præliis delerentur, reliquias, & quæ præterea ad eosdem ſpectant, luculenter, licet breviter, complectitur. Vide & *Lyſchandri* (*Joh.*) Antiquitatum Danicarum Serm. XV.

§. II. Exortis inde migrationibus è vagina illa gentium Septentrione Gothi & ſecundum quosdam Longobardi proruperunt, latiſſimeque univerſam ferè pervagati Europam & ultra Herculis columnas omnia ſuæ ſubmiſerunt poteſtati, magnaque regna condiderunt; quæ Græci quoque & Romani Scriptores attigerunt à *Clmo Mollero* libri citati P. I. p. 19. ſq. Clmo item *Struvio Bibl. Hiſt.* cap. IX. p. 218. ſqq. enumerati. Imprimis vero *JORNANDES*, Gothorum Epiſcopus, Caſſiodori Epitomator circa A. C. 550. *ISIDORVS HISPALENSIS* circa A. C. 630. res Gothicas ab origine repetitas & regna externa deſcripſerunt; &

Paul-

Paulus Warnefridus, Diaconus, tempore Caroli M. Longobardorum geſta & origines conſignavit, de quibus vide *Clmi Fabritii* Bibl. Lat. p. 660. ſqq. 769. &c. & *Mollerum l. c. Schurtzfleiſchii diſſert*: de rebus Suec-Gothicis §. 1. not. 1. De *Anglorum*, *Vitharum* & Saxonum expeditione, ejusque ſcriptoribus agit idem *Cl. Mollerus l. c.* p. 53. - 61. addantur *Thomæ Gale* Scriptores XV. Hiſtoriæ Britanno Saxonicæ & Anglo Danicæ Oxon. 1693. fol. editi, in qua collectione continentur *Joh. Wallingfordii* Chronica Saxonum & Danorum Reges Angliam occupantes ab Anno 449 - 1026. enarrantia.

§. III. Illucente poſthac Septentrioni Chriſtiana religione, res Daniæ illuſtrari magis cœperunt. Primus omnium *M. ADAMUS BREMENSIS*, Chriſtianiſmi in Dania Præco, à Suenone Eſtritio, Daniæ Rege, aliisque indigenis magnam Hiſtoriæ ſuæ partem accepit, ex ſcedulis palantibus, veterum monumentis, Imperatorum & Pontificum Romanorum privilegiis ac Seniorum ſermonibus plurima didicit, & Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ res Daniæ & Septentrionis à Caroli M. & Gotrici temporibus ad Cæſaris Henrici IV. & Suenonis Eſtritii ætatem annumque 1072. intexuit. Vide ipſius Adami libr. IV. cap. 16. De auctore, ejusque vita, ſcripto, librique editionibus *vide omnino Clmi Molleri Iſagog*. Part. 1. p. 64. - 70. præfationem itidem Apologeticam §. XLVIII. p. 67. Quam parum vero ipſius re-

atio-

lationibus Hiſtoricis fidei tribuendum ſit, exemplo uno alterove oſtendit *Torfæus* in Serie Dynaſtarum & Regum Daniæ libr. I. cap. VII. p. 61. ſqq. ubi eum in hiſtoria Septentrionis plane hoſpitem & res toto cœlo diſtinctas confundere dicit, cujus errores *Arngrimus Jonæ* in Specimine Islandiæ fuſius monſtraverit, & ipſe in ſerie hac ſuo quovis loco clarius detexerit. Poſt hunc *HELMOLDUS*, A. C. 1170. mortuus in Chronico Slavorum ab ævo Carolino ad Friderici I. Barbaroſſæ tempora, annumque 1168 deducto, multa immiſcuit, quæ Hiſtoriam Danicam concernunt, vid. *Mollerum* l. c. Part. I. p. 70-77. *Claud. Lyſchander* in dedicat. Synopſeos Hiſt. Dan. ſeu operis Genealogici p. XV. De ipſo autem Helmoldo ejusque Chronico Slavorum varia notatu digna congeſſit laudatus *Mollerus in Diatriba Hiſtorico-Critica de Helmoldo* &c. Lubecæ 1702. 4to. edita. Continuatio autem Chronici Helmoldini ab anonymo Presbytero Bremenſi ab A. 1164--1448. deducta, in qua res Daniæ præ coeteris diligenter notantur, extat inter Codices MSSos Bibliothecæ Johanneæ Hamburgenſis.

§. IV. Circa hoc tempus in ſummo felicitatis cardine verſari videbatur fortuna Daniæ, (ſunt verba Stephanii in dedicatione Suenonis, ad Magnum Regis Cancellarium Chriſtianum Thomæum) cum fortiſſimus Regum Valdemarus I. profligatis undique Piratarum copiis, efferâque Slavorum ſævitia domita Auguſtam barbariæ triumphatæ lauream defeſſis

bello nationibus oſtentaret, terrasque hoſtili adhuc cruore manantes exoptatæ pacis amœnitate perfunderet. Tantæ vero proſperitati ultimum veluti faſtigium deerat, nemine per tot retro ſecula reperto, qui res Principum æternitate dignas lateque efflorefcentis Reipublicæ gloriam duraturis annalium monumentis conſignaſſet. Eo claritatis genere patriam noſtram, cujus illuſtrandæ maxima ſemper cupiditate flagrabat, diu fraudari non paſſus Danorum maximus Pontifex *ABSOLON*; ex clientela ſua & ſacro comitatu duos protulit Ordinis religioſi viros, ſplendore quidem natalium pares, ſed ingenii magnitudine comtæque linguæ facundiâ longe diſpares; quibus res Danicas in hiſtoriam conferendi negotium impoſuit. Etenim Suenonem prima operis hiſtorici quaſi lineamenta ducere & præcipua duntaxat herôum facta luculento verborum compendio proſequi juſſit. Saxonem vero res Daniæ geſtas, à primordio gentis ad ſua tempora cultiore ſermone perſcribere & conſummatæ hiſtoriæ molem aggredi compulit.

§. V. Primi itaque Danorum (de Islandis hiſce coævis vel etiam prioribus poſtea dicemus) & primi ſimul omnium à regni initio ad ſua usque tempora juſto hiſtoriam Danicam opere complexi ſunt hi duumviri *SUENO AGGONIS* & *SAXO GRAMMATICUS*. Utriusque Scripta Stephanus Joh. Stephanius in Regia & Equeſtri Academia Sorana Profeſſor Eloqu. & Hiſtor. Regiusque Hiſtoriographus notis illu-

ſtrata

ſtrata edidit, & illius quidem hoc titulo:

Suenonis, Aggonis Filii, Chriſtierni Nepotis primi Danicæ gentis hiſtorici, quæ extant opuſcula; Stephanus Joh. Stephanius ex vetuſtiſſimo Codice membraneo MSo Regiæ Bibliothecæ Hafn. primus publici juris fecit, Notisque hiſtoricis pariter ac Philologicis illuſtravit Soræ 1642. 8. pagg. 222.

Habentur in hac editione præter compendioſam hiſtoriam Regum Daniæ à Skioldo ad Canutum usque VI, Valdemari I. filium à p. 1-142. Leges etiam Caſtrenſes ſive curiales Canuti M. Daniæ & Angliæ Regis à pagina nempe 143-199. Sequitur deinde incerti auctoris brevis tractatus de ſucceſsione Regum Daniæ à Dano I. usque ad Chriſtophorum Regem. Fuit auctor Sueno ſplendidiſſimo inter Jutos loco natus, cujus Pater avusque ſub Regibus Daniæ Nicolao, Erico Emund & Valdemaro I. ſtipendia meruerunt, militesque ſtrenui fuerunt, uti ex Saxone teſtatur Stephanius in præfat. ad Suenonem. Vixit autem & ſcripſit regnante Canuto VI. Saxonem habuit σύγχρονον, à quo in nonnullis prorſus diſſentit, in plerisque amicè cum eo conſpirat; eodem vero tempore uterque concludit, nec ultra homagium Canuto Daniæ Regi à Bogeslao, Pomeraniæ Duce, præſtitum progreditur. Stylo utitur iſti ævo familiari, nec ad Saxonis elegantiam accedit, non tamen ubique barbarus eſt. Vide

Stephanii præfationem antea citatam, & *Clmi Molleri* Hypomnemata p. 412. Skioldum primum Daniæ Regem agnoſcit Sueno, ſecundum Islandorum monumenta, quæ tamen non ubique ſequitur; nec niſi illuſtriores Reges memorat, illorum geſtis modicam aut nullam impendens operam, quos fama glorioſa circumvolans præterit, uti ipſe loquitur Sueno in prooemio hiſtoriæ p. 3. Decem capitibus porro hiſtoriam abſolvit, in quorum I. agit de primo Danorum Rege, in II. de Duello Uffonis, in III. de Thyra Danmarckebot, Daniæ Regina, in IV. de Haraldo Blatand i. e. coerulei dentis, in V. de Canuto M. in VI. de S. Canuto Ottonienſi, in VII. de S. Canuto Ringſtadienſi, in VIII. de Waldemaro I. in IX. de tribus Valdemari inſignibus, in X. de Canuto Valdemari filio. In plerisque tamen capitibus plures enumerat, quam titulus indicat, Reges; ſingulis autem his capitibus Stephanius ſuas ſubjunxit notas, ex Saxone & aliis Suenonem illuſtrantes. *Torfæus* Suenonem nulla alia de cauſa ab Islandorum monumentis exorbitaſſe cenſet, quam quod eorum exiguam partem ad manus habuerit, vid. ſeriem ejus Dynaſtarum & Regum Daniæ citatam p. 65.

§. VI. Poſt Suenonem ut ſcripti ſunt, ita etiam prodierunt eodem editore:

Saxonis Grammatici Hiſtoriæ Danicæ libri XVI. Stephanus Joh. Stephanius ſummo ſtudio recognovit, notisque uberioribus illuſtravit

vit, Soræ 1644. fol. pagg. 384. præter Indicem memorabilium & dedicationem ad Chriſtianum IV.

In præfatione ad Andream Sunonis, ArchiEpiſcopum Lundenſem, teſtatur Saxo auctor, quod Abſolon, Daniæ maximus Pontifex ſibi Comitum ſuorum extremo, res Danicas in Hiſtoriam conferendi, negotium intorſerit, inopemque ſenſum majus viribus opus ingredi crebræ exhortationis imperio compulerit. Quatuor deinde memorat fundamenta ſuæ Hiſtoriæ, primum carmina patrii ſermonis à Danorum antiquioribus vulgata, ſecundum, inſcriptiones veteres in ſaxis & rupibus repertas, tertium, Islandorum Monumenta hiſtorica, quartum denique, ArchiEpiſcopi Abſolonis aſſerta & relationes: hinc ſeſe ingenii viribus militare velle profitetur Valdemaro Regi, cujus Patris Clariſſimi Caſtrenſem militiam Parens Avusque ipſius fidisſimis bellici laboris operibus coluerint. Initium à patriæ ſitu & deſcriptione petiturus, commentariolum de Regnorum Aquilonarium ſitu & natura variis tractatibus de Regno Daniæ & Norwegiæ &c. Lugd. B. 1629. in 16mo editis num. 2. p. 42-51. inſertum præmittit. In ipſo Hiſtorici operis initio DAN & ANGUL, Humbli filios, gentis conditores facit & Reges, ſed ſine titulo, Danique poſteritatem inde continuat libris VIII. prioribus ad Caroli M. & Gotrici usque tempora. Hinc libro IX. res Olafi XXIVti

Daniæ Regis ſecundum Saxonis ordinem, usque ad Gormonis, Regis LVIIIvi geſta pertractat. Libro X. Haraldi Blaatandi LIXni usque ad Magnum Regem LXIIItium. Libro autem XI. Suenonis Eſtritii LXIVti Haraldi Hein LXVti & Canuti Sancti LXVIti Regis, libro poſtea XII. Olai Famelici LXVIImi & Erici Eigode LXVIIIvi acta deſcribit. Libro XIII. Nicolai Regis Danorum LXIXni vitam & negotia comprehendit. Librum XIV. in quinque ſectiones partitur, quarum 1) Erici III. Emundi Regis LXXmi, Erici IV. Regis LXXI. item Suenonis Tertii LXXIIdi & Canuti Quinti LXXIIItii. (2) Valdemari I. Regis Danorum in Ordine LXXIVti, cum Canuto Quinto & Suenone Tertio regnantis, cujus etiam ſolum poſtea regnantis res parte ſectionis ſecundæ & reliquis ſectionibus hiſtoriam tradit, & toto libro XVto ulterius exponit. Ultimo tandem libro de Canuto VI. Rege LXXVto agit. Ad hanc Saxonis hiſtoriam *Stephani Joh. Stephanii* "notæ uberiores, unâ cum Prolegomenis ad "easdem notas Soræ 1645. fol. ſeparatim pro-"diere, paginis 252. abſolutæ, præter indices "rerum & Auctorum atque prolegomena. In quorum (ſc. Prolegomenῶν) capite I. & II. Saxonis editio prima Pariſ. 1514. ap. Jodocum Badium Aſcenſium procurante M. *Chriſtiano Petri*, hortatu Lagonis Urne, Epiſcopi Roſchildenſis, è MSo Birgeri ArchiEpiſcopi Lundenſis, vulgata memoratur. Capitibus III. & IV. ſecunda editio Baſileenſis Oporina 1534. excu-

ſa

ſa conſilio Johannis Sphyractis, cui Ericus Krabbe exemplar Lutetiæ dederat; editio itidem Tertia Francofurtana apud Wechelum opera *Philippi Loniceri* & *Joh. Fichardi* A. 1576. exſcripta; & tandem Sorana quarta operis editio ipſius notarum auctoris recenſentur, cui primò notas minutiores præmiſerat Lugd. B. 1627. 8. ſeparatim excuſas, deinde autem uberiores haſce paravit. Quid in hac editione præſtiterit, capite V. memorat & interitum binorum exemplarium MSSorum Caſp. Barthii capite VI. deplorat. Tradit inde cap. VII--XV. Saxonis vitam, parentes, nomen, cognomen, patriam, officium, ſocietatem & miniſterium apud Abſolonem ArchiEpiſcopum, quando vixerit, ſcripſerit & quousque, conjugium item & prolem, mortem & elogia. Capite XVI--XIX. ſtylum ipſius examinat, quosque imitatus, indicat. Capite XX. teſtimonia & encomia colligit. Capite XXI. Saxo Maſtiges & ſpeciatim Arngrimi Jonæ & Joh. Lyſchandri cenſuras cap. XXII. exhibet; quibus omnibus capite XXIII. Aphoriſmos Apologeticos opponit, & demum gratulatoria totis capitibus XXIV. & XXV. inſerit. Cœterum de Saxonis Perſona, ætate & quæ huc ſpectant memorabilibus præter dicta Stephanii Prolegomena vide Clmi *Molleri Hypomn. ad Barthol.* de Script Dan. p. 395. ſqq. imprimis vero ejusdem Spicilegium Hypomnem. p. 43. ſqq. ubi Saxoni ex Sperlingii notis ad Teſtamentum Abſolonis quæſtio ſtatus movetur. De Hiſto-

riæ Saxonis editionibus vid. idem Mollerus l. c. p. 396. de verſionibus Danicis & Saxonica, Epitomatore, Commentatoribus, Gnomarum ipſius collectoribus p. 397. ſq. & Spicileg. p. 44. De ejusdem elogiis p. 398. ſiniſtris de eo judiciis p. 399. & 401. (quibus ea quoque addenda ſunt, quæ contra Saxonis auctoritatem & fidem adducit Joh. Buno in defenſione contra Baronem Roſencrantzium p. 109. ſqq.) de modeſte Saxonem notantibus p. 400. de Defenſoribus p. 400. quibus nuper acceſſit *Joh. Adolphus Stuve* in diſſertatione de caſtitate Hiſtoriæ Danicæ & puritate linguæ latinæ in Saxone contra Joh. Goropium Becanum Hafniæ 1702. 4to. edita, addatur etiam Claudius Lyſchander in dedicatione operis Genealogici p. XV. XVI. & XVII. *Continuatores* Saxo nactus eſt præſertim duos, alterum *Petrum Olai*, Monachum Ordinis Ciſtercienſis Roſchildenſem, cujus continuatio Hiſtoriæ Saxonis à Canuto ad Frider. II. usque latina ἀνέκδοτος latet in Bibliothecis teſte Mollero in Spicileg. p. 45. alterum vero *Anonymum* in Catalogo librorum Ottonis Sperlingii p. 436. memoratum ſub ſequenti titulo; Saxo Gramaticus up Platdütſch continuernd to 1481. in 8o. qui an diverſus ſit ab illo, in quarto impreſſo, in Reſenii Catalogo p. 263. citato, dijudicare, cum neutrum viderimus, non poſſumus.

§. VII. Fundamenta Saxonis, quibus in hiſtoriâ concinnanda uſus eſt, quæque ſupra ex ipſius præfatione allegavimus, examinat *Cl. Torfæus* in Serie Dynaſtarum & Regum Daniæ

lib.

lib. I. cap. VII. p. 63. ſqq. oſtenditque (1) carmina admodum pauca fuiſſe, uti ex ipſo ejus opere pateat, cujus liber III. & IV. ne unicum quidem exhibeant, Nonus vero liber & qui ſequuntur iis plane careant, neque ex adductis aut Epocham Regni aut Regum ſeriem aut ſtemmatum ordinem &c. erui poſſe. (2) Inſcriptiones pariter paucas fuiſſe, nec multum luminis Hiſtoriæ aut in digerenda Regum ſerie fœnerari; eſſe easdem inſuper vel exeſas tempore vel intellectu difficiles & intricatas. (3) Iſlandica monumenta licet ingenti encomio honoret, videri tamen ea parum accurate pervolviſſe, cum in pauciſſimis ei ſuffragentur. (4) *Abſolonis Archi Epiſcopi* relationes non niſi propiora Saxoni tempora reſpicere neque ita vetuſtiſſimarum Daniæ rerum fundamenta eſſe poſſe. Cenſet præterea l. c. p. 219. Saxonem falſum ordinem Regum ſervare, nonnullos ſupra Chriſti nativitatem exaltare, qui longo poſt Chriſtum natum tempore floruerunt, alios ad Sceptra Danica admittere, qui extranei fuerunt, nec ullum inter Regni iſtius Dominos locum merebantur, & quosdam in ſupremorum Daniæ Regum numerum adſciſcere, qui vectigales tantùm Regulique fuerunt, licet forte aliquando Regibus ipſis potentiores. Merito tamen Saxonem ſibi gratulatur, quod multas vetuſtatis hiſtorias, quæ temporum injuria apud Islandos interciderunt, conſervaverit, licet earum ſeriem temporumque rationem parum obſervaverit. Credit præterea

gloriæ gentis ſuæ imprimis ſtudioſum Saxonem Regibus originem honoratiorem, quam à gentilium Deaſtro dare, gentique antiquitatem profundiorem conciliare, voluiſſe; atque ita Daniam ab ultima origine eodem, quo ſuo tempore, nomine dictam aſſeruiſſe, libro citato p. 66. Contra *Johannes Lyſchander*, Saxonem antiquitates minus diligenter inveſtigaſſe exiſtimat, cum Reges tantum a Dano Baltheo, initiis Regnorum Cimmericorum ſeu Borealium, annis mille recentiori deſcendentes recenſeat. Vide Antiquitatum Danicarum ſermones p. 69. 70. Præ cæteris placuit Clmi *Molleri de Saxone* judicium, quod habetur in Introductione Part. I. p. 40. ſq. ubi ſic de eo ſcribit: "*Veneror ego Saxonis ingenium & facundiam, & libros VIII. poſteriores rerum Danicarum ſtudioſis ſeriò commendo. Sed totidem, qui hos præcedunt, priores, Hiſtoriam Caroli M. & Gotrici temporibus antiquiorem complexos, fabulis ſcatere, ineptamque narrationem verbis exquiſitis tegere cum Krantzio affirmo, & ne quis temerè fidem iis adhibeat, iterum iterumque inculco.*

§. VIII. Poſt hos Duumviros per aliquot tempus non adeo magna incrementa fecit Hiſtoria Danica; non defuere tamen qui eandem promovendi curam habuerunt. *Spectat huc Incerti auctoris brevis tractatus de Succeſſione Regum Daniæ, inſcriptus: Genealogia regum Daniæ à Dan ad Chriſtophorum I. Waldemari I. filium, annumque 1259. cum Suenonis Opuſculis à Stephanio editis, excuſus p. 200 - - 222 Ericus* etiam *MENVED* dictus, Rex Da-

niæ,

niæ, qui 1319. deceſſit, ex omnibus regni Archivis, ſcriptis & documentis *Congeſta Menvedi* collegiſſe aut colligi feciſſe refertur à Claudio Lyſchandro in dedicatione operis Genealogici p. XX. quæ vero non amplius extant notante Wormio in notis ad ſeriem duplicem Regum Daniæ p. 6. Poſt Menvedum *ERICUS POMERANUS*, Daniæ Rex circa A. 1420. hiſtoriam Daniæ illuſtraturus, literatos in Patria ſollicitavit, ut, ſi quid de Regibus Daniæ tenerent, in commune conferrent, vid. Wormius l. c. Ex patriæ documentis antiquis ipſe breve Chronicon conſcribi feciſſe perhibetur à Claudio Lyſchandro l. c. Hoc procul dubio idem eſt, quod ſub hoc titulo: *ERICI Pomerani*, Daniæ Regis, Hiſtorica narratio de origine gentis Danorum, & de Regibus ejusdem gentis, deque eorundem rebus geſtis Hamb. 1603. 4to prodiit, & ab *Erpoldo Lindebrogio* inter rerum Septentrionalium vicinorumque populorum Scriptores diverſos Ffurti 1609. fol. nuperque cum Clmi *Fabritii* præfatione Lambecii Originibus Hamb. & Anckelmanni Inſcriptionibus Hamb. Hamburgi 1706. fol. recuſos, no. X. editum eſt. *Stephanius* variis tractatibus de regno Daniæ & Norwegiæ Lugd. B. 1629. 16mo editis no. III. p. 52. -- 101. Idem Chronicon inſeruit, ex Codice MSo recognitum & ſexcentis in locis debitæ integritati reſtitutum. Ipſi vulgo Regi Erico tribuunt hocce breviarium Hiſtoriæ Danicæ, celeberrimo verò *Torfæo* l. c. p. 72. & *Stephano Joh. Stephanio* in notis ad Suenonem Ag-

gonis

gonis p. 132. á Monacho iſtius ævi quodam Regis juſſu videtur compoſitum eſſe. Poſt exiguum autem de origine gentis monitum à Dano primo Chronicon incipit, & in Erici Menvedi ætate A. 1288. deſinit. Germanica Chronici hujus verſio, ab auctore Anonymo ſub titulo: Van de Orsprung der Dånen / und van den Tall ehrer Kőnige concinnata inter MSa Bibliothecæ Hamburgenſis no. 2. in folio oſtenditur, vid Moller. Iſag. P. I. c. XI. p. 171.

§. IX. Huic Pomerani ætati, ex ſtylo medium ævum, quo vixit hic Rex, redolente & eidem quam diximus occaſioni tribuit *Celeberrimus Wormius Regum Daniæ ſeriem duplicem, quam cum limitum inter Daniam & Sueciam deſcriptione ex vetuſtiſſimo Legum Scanicarum, literis Runicis, in membrana exarato Codice erutam & notis illuſtratam edidit Hafn. 1642. fol.* Harum prima ſeries a p. 1.-16. incipit à Dano I. finit cum Erico Menvedo A. 1319; in numero & appellationibus Regum ab Erici Pomerani breviario diſcrepat, in eodem tamen Rege uterque deſinit. Regum Daniæ hiſtoriam aut res geſtas non perſequitur, ſed nuda illorum nomina, ſeriem & connubia exhibet; cujus inſtituti plura fragmenta ſe habere Wormius teſtatur in notis p. 7. Altera ſeries à p. 17. usque ad p. 27. ab Hadingi rebus, cujus tamen nomen abeſt, initium facit, finitque in Erico, Erici Menvedi filio. In rebus recenſendis cum Erico Pomerano magis convenit, licet in numero Regum & nominibus quibusdam diſſentiat.

§. X.

§. X. Huc quoque referri meretur Fratris Nigels van Sore Däniſche Chronica aller Konninge to Dennemarck Leven / Handel und Krigesdaden van Dan bit up Carſten den erſten inholdende / ſo geſunden iß in der Schlacht und Nedderlage der Dänen to Hemmingſtede in Dithmarſen d. 17. Febr. 1500 in Sächſiſche Rimen avergeſettet: i. e. Fratris Nigelii ſeu Nicolai Sorani Chronica Danica, omnium Regum Daniæ vitam, facta & bella à Dano usque ad Chriſtianum I. complexa; reperta in prælio & clade Danorum ad Hemmingſtedam in Dithmarſia die 17. Febr. 1500. Rythmis Saxonicis verſa. Latet MSSa adhuc in Bibliotheca Gottorpienſi & Hamburgenſi. Videtur hic Scriptor idem eſſe cum Anonymo iſto Sorani Coenobii Monacho, quem *Petrus Reſenius*, Johanne Danis imperante, Chronicon ait ſcripſiſſe de Regibus Daniæ vernaculum & Rythmicum à Dani I. ævo ad Chriſtiani I. tempora, ac Hafniæ à *Godofredo Ghemen* 1496. excuſum; addit illud ab *Erico Krabbio* 1555. denuo eſſe recenſitum & rerum Johannis hiſtoria, Rythmis itidem Danicis comprehenſa, auctum. Vid. Cl. Molleri Iſagog. Part. I. p. 33. 284. & 285. Forte idem Chronicon eſt Danico-Rythmicum ſive Danſke Riim Cronicke / quod memoratur in Catalogo Sperlingiano no. 2230. in 8t. p. 437. cum quo conferendus Bartholinus de ſcriptis Danorum p. 10. ubi Chronicon Danicum vetus Anonymi, Danicè Hafn. 1501. 8. impreſſum allegatur, à quo procul dubio diverſum non

erit

erit Chronicon Danicum vetus quod *Cl. Struvius* in Bibl. Hiſtor. p. 721. allegat Hafn. 1541. (errore forſitan Typographi) editum.

§. XI. Sequitur jam in ordine ALBERTUS KRANTZIUS, Theologiæ & Decretorum Doctor atque Eccleſiæ Cathedralis Hamburgenſis Decanus A. C. MDXVII. denatus. Hic præter alia ſcripta præclara ut *Metropolin* ſive libros XII. de Hiſtoria Eccleſiaſtica, Saxoniæ præcipue inferioris ab A. C. 780. usque ad A. 1504. *Saxoniam* ſive libros XIII. de Saxonicæ gentis Originibus rebusque geſtis usque ad ſeculi decimi ſexti initia: & *Wandaliam* ſeu libros XIV. de Origine, gentibus, migrationibus, regnis & rebus geſtis Wandalorum ad idem usque tempus explicatis, magna etiam laude condidit Chronica Regnorum Aquilonarium, *Daniæ*, *Sveciæ*, *Norwegiæ* ad idem ſæculi decimi ſexti auſpicium deducta, ac Daniæ quidem libris IX. Sveciæ libris VI. & Norwegiæ totidem: quorum optima editio eſt Andreæ Wecheli excuſa typis Francofurti 1575. fol. Exſtant etiam in Germanicam linguam translata & in Gallicam, ac præter domi ab gentibus illis ſeptentrionalibus geſta, perſequuntur etiam res populorum antiquitus ex illis profectorum Oſtrogothorum Lamburdorumque in Italia & Sicilia, & Wiſigothorum in Hiſpania.

§. XII. Neque prætereunda h. l. eſt *Regum Daniæ ſeries una cum notatione ſuccincta temporum & rerum maximè memorabilium, quæ ſingulis regnantibus per Daniam & in vicinia acciderunt, collectore*

ctore Magno Mathia, Lectore Theologiæ & Canonico Lundenſi in 4to quæ ſeries MSa aſſervatur in Biblioth. Regia Hafnienſi, incipitque à Dano I. & deſinit cum Chriſtiano III.

§. XIII. Ejusdem commatis ſunt (1) *Hiſtoria compendioſa ac ſuccincta Sereniſſimorum Daniæ Regum ab incertô auctore conſcripta, poſtea vero ad Chriſtianum IV. deducta & antehac in lucem edita ſtudio & opera Erpoldi Lindenbruch Lugd. Batav. 1595. 4to.* Poſtea vero variis tractatibus de Regno Daniæ & Norwegiæ Lugd. B. 1629. 16mo editis inſerta no. IV. p. 102. ſqq. --- 172. vid Moller. Iſag. P. I. c. XI. §. 1. p. 170. 171. (2) *Chronica* das iſt Beſchreibung aller Könige in Dennemarcken von dem erſten König Dan (welcher zur Zeit des Königes Davids regieret) biß auff *Chriſtian* den *IV.* itzt regierenden und an der Zahl den 100ſtē mit angehengter Crönung d. 26. Aug. Anno 1596. zu Copenhagen gehalten. Magdeb. bey Johann Francken 1597. 8. i. e. *Deſcriptio omnium Regum Daniæ à primo Rege Dano (qui tempore Regis Davidis regnavit) usque ad Chriſtianum IV. h. t. regnantem ordineque centeſimum inter Reges, cum annexa coronationis ejusdem Hafn. d. 26. Aug. A. 1596. celebratæ Hiſtoria.* Editor hic *Johannes Franckius*, Bibliopola Magdeburgenſis, in dedicatione ad Joachimi Friderici Primatus & Archi Epiſcopatus Magdeburg: Poſtulati adminiſtratoris Filios, monet: hoc Chronicon ſimilis argumenti ejusdemque tenoris eſſe, cum longis tabellis in arce Cronenburgica Germanico Rythmo extantibus. Forte idem

hoc

hoc eſt Chronicon, quod MSum citat *Reinmannus* in Commentat. de libris Genealogicis Sect. II. p. 30. Titulus vero ibidem hic eſt: Succeſſio derer Könige in Dennemarck von dem erſten König Dan, biß auff Chriſtian den IV. dieſes Nahmens / itztregierenden König / wie dieſelbe in Teppich ſehr kunſtreich gewircket / und auff dem Königlichen Schloß Cronenburg auff dem groſſen Saal ordentlich nach einander zu ſehen. Anno Chriſti M DC XIIX. d. 3. Septembr. Chronicon hoc ſi cum primo, quod auguramur, idem eſt, tabellæ dictæ ſunt aulæa in dicta arce expoſita.

§. XIV. Familiare inde fuit Sereniſſimis ex Domo Oldenburgica Regibus plerisque, Hiſtoriographi munus viris eruditiſſimis deferre, qui res vel Regum particularium vel totius regni ab origine ad ſua usque tempora conſcriberent, quorum Catalogum exhibent Claud. Lyſchander & Joh. Iſaacius Pontanus in dedicationibus operum Hiſtoricorum. Inter hos primò occurrit *JOHANNES SUANINGIUS* Senior, (quem Chriſtianus III. primùm hoc titulo ornavit) Is dicti Regis juſſu, poſt varia togæ munera atque inſtitutionem Filio Principi laudatiſſimè præſtitam, ad ſcribendam Daniæ hiſtoriam animum appulit, reliquit etiam Hiſtoriæ Danicæ Tomos III. quorum primus Regum Ethnicorum usque ad Regnerum Lodbrog decem libris abſolutus, ſecundus Regum Chriſtianorum ab Haraldo Klakio annoque Chriſti 826. ad Chriſtophorum usque Bavarum,

an-

annumque 1448. itidem libris decem incluſus, tertius denique Chriſtiani I. Johannis & Chriſtiani II. Oldenburgicorum tempora & res geſtas perſequitur. Latent hi Tomi III. MSSi Hafniæ in Bibliothecis Regia atque Academica. Methodum, qua in his Tomis uſus eſt, facile licet cognoſcere ex hiſtoria Chriſtiani II. ejus edita, quæ Tomi III. ἀποσπασμάτιον eſt. Videantur *Pontanus* in Chorograph. Daniæ deſcriptione p. 785, *Suaningius* in prolegomenis Chronol. p. 30. & *Cl. Mollerus* in Introduct. P. I. p. 36. necnon in Hypom. ad Bartholinum de Script. Dan. p. 311.

§. XV. HARALDUS HUITFELDIUS de Odersberg Eques Danus, Toparcha Lecchöenſis primum Chriſtiani IV. Secretarius ſupremus, & non una vice legatus, deinde autem Regni Senator ac Cancellarius, anno 1608 ætatis 59. defunctus, *Chronicon rerum Danicarum à Regni exordio ad Friderici II. tempora perductum*, tanta congeſſit Diligentia, fide & φιλαληθεία, judicioque adeo accurato conſcripſit ac diſpoſuit, ut licet erroribus Chronologicis & mnemonicis haud careat, locum nihilominus principem inter monumenta Daniæ Hiſtorica & mole & præſtantiâ facile hactenus tueatur. Editum hoc eſt primò ab auctore ipſo X. Partibus, annisque diverſis, ſed ordine præpoſtero in 4to. Horum Tomus I. agit de Dano Primo Rege ad Canutum usque VI. deque origine Normannorum in Gallia Hafn. 1603. Tomus II. ſiſtit hiſtoriam Canuti VI. ad Regem

usque Ericum Menved, à quarto Maji Anno 1182. ad 22. Novembr. A. 1286. ibid. 1603. Tomus III. continet Chronologiæ continuationem & hiſtoriæ, ab exceſſu Saxonis complectentem res geſtas Erici Menved, Chriſtophori II. Erici fratris, Valdemari IV. Chriſtophori filii, ab A. 1286. ad A. 1375. ibid. anno eodem. Tomus IV. exhibet Chronologiæ ejusdem continuationem comprehendentem hiſtorias Regis Olai, Reginæ Margarethæ, Regis Erici Pomerani, & Regis Chriſtophori Bavari ab A. 1370.-1488. ibid 1603. Tomus V. habet hiſtoriam Eccleſiaſticam Daniæ Epiſcoporum & religionis Chriſtianæ in Dania ortum & progreſſum, item Catalogum Epiſcoporum Norvegiæ; accedit hiſtoria Archi Epiſcopi Lundenſis Jani Grand. ibid. 1604. Tomus VI. refert Hiſtoriam Chriſtiani I. ab A. 1448.---1481. ibid. 1599. Tomus VII. complectitur hiſtoriam Regis Johannis ab A. 1481.--1513. Hafn. 1599. Tomus VIII. comprehendit Hiſtoriam Chriſtierni II. ibid. 1596. Tomus IX. ſiſtit Hiſtoriam Friderici I. ibid. 1597. Tomus denique X. enarrat hiſtoriam Chriſtiani III. ibid. 1595. Secunda editio à Joachimo Moltkenio, Bibliopola Hafnienſi duobus in folio Tomis Hafn. 1652 (non 1655. 4to ut *vult Struvius* in Biblioth. Hiſtor. p. 722.) adornata, ſed priori culpa typographi mendoſior & paſſim mutila eſt, ob indicem tamen, qui huic acceſſit, luculentum atque uberrimum commendanda eſt. De inſtituto ac ſubſidiis hujus operis Illuſtris

Autor

Auctor ipſe in præfatione ad Chriſtianum IV. Regem, ſingulis partibus præfixa, diſſerit, elogia vero ipſius collegit *Cl. Mollerus* in Hypomn. ad Barthol. p. 230. ſqq. & in ſpicileg. Hypomn. p. 18. Reſtat ut paucula de prænomine adjiciamus, qui ab aliis Arnoldus, Andreas, Arvidus & Aurelius appellatur, quos vero omnes caſtigavit Cl. Mollerus l. c. Verum de Suaningio videtur, eum merito excuſandum eſſe, nam licet in prolegomenis ad Chronolog. Dan. p. 28. b. Huitfeldium Arnoldum vocet, factum hoc procul dubio eſt feſtinante calamo, & locus Pontani, qui eundem errorem amplexus eſt, a Suaningio h. l. citatus forte illum fefellit. Interim tamen jam antea pro Haraldi nomine Huitfeldio tribuendo pluribus militavit, v. g. p. 21. ubi inter alia ſic ſcribit: *Quotiens autem dicti Herois* (Huitfeldii nempe:) *nomen latinè exprimunt eruditi, totiens eum Haraldum appellare conſueverunt. Clmus Wellejus Hiſtoriographus olim Regius in literis publicê editis ita Huitfeldium noſtrum alloquitur: Generoſo Viro* &c. *Haraldo Huitfeldio &c. E dictis facile colligimus, nomen Viri proprium, Danis* Arild *dictum, latine vocari Haraldum.*

§. XVI. JOHANNES quoque *Iſaacius Pontanus*, Hiſtoriographus Regius, natione Danus, licet extra Daniam ſcripſerit, huc merito referendus eſt. Extat ejus rerum Danicarum hiſtoria libris X. unoque Tomo ad domum usque Oldenburgicam deducta, Amſtel. ſumtibus Janſonii 1631. fol. pagg. 636. præter dedicationem, præfationem & ſex indi-

ces. In dedicatione ad Chriſt. IV. ſtudium Regum Daniæ erga hiſtoriam & Hiſtoriographos collaudat, enumeratis, qui fuerunt poſt Saxonem Grammaticum ad ſua usque tempora Hiſtoriographis Regiis. In ipſo opere promittit annorum ac temporum ſeriem, antiquiſſimas gentis colonias, externa, domeſtica, quæque Saxo non habuit, vernacula & barbara excutere, & ad Chriſtianum II. usque continuare.

Initium Hiſtoriæ ſuæ à Cimbrorum egreſſione facit, ſepoſitis iis, quæ Saxo Grammaticus eumque ſecuti, de Dano gentis conditore memorant; cum illa maximis autoribus prodita, hæc vero ejusmodi ſunt, qualia ante conditam Romam, decora magis relatu quam incorruptis rerum monumentis tradita, ſecundum Livium. Præmiſſa igitur hiſtoria expeditionis Cimbricæ à p. 1. --- 12. ex Saxone & aliis quæ hiſtoriam ſpectant, adducit á Dano I. usque ad Gotricum, tempore Caroli M. regnantem, ſubjuncto ſtemmate triplici Genealogico Regum, * qui ante Carolina tempora in Dania regnaſſe traduntur; Claudit deinde librum I. variis additionibus expeditionem Cimbricam ſpectantibus, ex Livio, Floro, Juſtino, Oroſio, demonſtraturus porro eam, quam cœperant Septentrionales Cimbri vaſtationem Romani Imperii poſteros ad colophonem mirabiliter perduxiſſe, nova regna, novos Principatus extra regni pomœria

* P. 12. -- 38. p. 39. -- 41. p. 42. -- 45.

ria conſtituiſſe. Hinc memorat poſt Cimbros proveniſſe Rugos, Gothos, Vandalos, quorum res libro II. pertractat, & Iſidori Chronicon Gothorum Vandalorum & Suevorum adjungit, ſucceſſiſſe his ait Anglos, Vithas, Saxones, de quibus libro III. agit; denique veniſſe Normannos. Hinc libro IV. de Rollone Duce Normannorum ejusque poſteris ad Wilhelmum Conqueſtorem, Regem Angliæ, de Regibus item Siciliæ Normannicis, Ducibus Apuliæ &c. differit, & Normannos fuiſſe Danos defendit, deductâ ſimul Regum Daniæ hiſtoria à Gotrico usque ad Canutum Parvum. Inde libro V. à Frothone Rege ſexageſimo usque ad Woldemarum I. additis Genealogiis * Regum à Gotrico ad Suenonem Eſtritium & à Suenone Eſtritio ad Waldemarum I. Hiſtoriam continuat, & libro VI. usque ad Xmum reliquorum Regum, Waldemari nempe primi & ſequentium usque ad Chriſtophorum III. Bavarum res geſtas deſcribit, finitque cum Genealogia Regum à Waldemaro II. usque ad Chriſtophorum III.

Quis fuerit Pontanus, quæ ejus ſcripta & vitæ memorabilia, exhibet *Cl. Mollerus* in Hypomn. ad Barthol. de Script. Dan. p. 271. ſqq. & in Spicileg. p. 22.

Ex Saxone Grammatico, imprimis vero Huitfeldio (unde Suaningio Huitfeldius Latinus audit) cœterisque domeſticis & peregrinis auctoribus, ſuam condidit hiſtoriam, vid. *Suaning.*

 in

*. P. 178. & 803. p. 231. & 805.

in Prolegom. Chronol. Dan. p. 30. ubi eandem hoc diſticho commendat.

Pontanus Danos, Trojanos ſcripſit Homerus,
Magnus hic eſt Græcis, major at ille Gothis.

§. XVII. Sequuntur JOHANNIS MEURSII *Hiſtoriæ Danicæ ſive de Regibus Daniæ, qui familiam Oldenburgicam præceſſere, eorumque rebus geſtis à Dano ad Canutum VI. in quo deſinit Saxo Libri V. priores* Amſtel. 1638. fol. pagg. 118. *Ejusdem Hiſtoriæ Danicæ Continuatio ſive libri V. poſteriores à Canuto VI. ad Chriſtianum I. ibid. eodem pagg. 133.* Ejusdem *Hiſtoriæ Danicæ libri tres, in quibus res commemorantur geſtæ à Chriſtiano I. ac Johanne ejus filio & Nepote Chriſt. II. ibid 1638. fol. pagg. 87.* Quid in hoc opere Celeberrimus auctor præſtiterit, ex titulo unicuivis abunde patebit. Unicum hoc addimus, libros III. poſteriores in hac editione, prima vice Amſtelod. 1630. in 4to ſeparatim editos eſſe. Cœterum de Meurſii laboribus & fatis conf. Mollerus in Hypomnematibus ſæpius citatis p. 284--290. & in Spicileg. p. 24. ſq. cui adde Suaningii Prolegom. ad Chronol. Dan. p. 30. & Acta Eruditorum Anno 1688. p. 254.

§. XVIII. Quid olim in conſcribenda Danorum hiſtoria univerſali præſtiterit *Vitus Beringus*, id *Florus* ipſius Danicus, ſive Hiſtoria Regni Danici poſthuma, à Dano Rege Primo ad Chriſtianum I. ſive Dynaſtiæ Oldenburgicæ

cæ initium pertexta & Ottoniæ 1698. fol. è Typographia D. Thomæ Kingovii, Epiſcopi Fioniæ, domeſtica edita, oſtendit, de cujus diligentia *ἀκριβείᾳ* & Panegyrico ſcribendi genere, aliisque circa hiſtoriam hanc & auctorem memorabilibus, videatur Mollerus l. c. p. 460. & in Spicileg. p. 50. Fallitur ergo *Clmus Struvius*, qui anno editionis forte deceptus, arbitratur, hiſtoriam hanc ad noſtra usque tempora perductam eſſe Bibl. Hiſt. p. 723. Pleniorem libri hujus recenſum exhibent Clmi Actorum Lipſienſium collectores Anno 1703. menſ. April. p. 148, qui hic nobis ergo otia fecerunt.

§. XIX. Neque hiſtoriæ Danicæ illuſtrandæ deeſſe voluit *Janus Severini Norniſſomius* Bibliopola Roſchildenſis ex cujus officina prodiit tractatus vernaculus ſub titulo: En kort danſke Kronicke / fra Kong *Dan* den Förſte / undtil denne naervarendis tid ꝛc. wed Hens Säffrenſon Nor-Niſſon / boghandler udi Roſchild / *Hafn. 1649. 8t. i. e. Breve Chronicon Danicum, à Dano I. ad præſentia usque tempora apud Janum Sever. Norniſſomium.* Paginas continet 131. præter indicem & præfationem quam Steph. Joh. Stephanius huic opuſculo præfixit. Præmittit auctor ex Huitfeldio quædam de Ethnica & veteri religione, it. ex Chronico veteri Norvegico Snorronis & aliis quædam de Othino, hinc Frothonis III. Jus militare & provinciale inſerit pag. np. 34. 36. additque demum in fine quædam de veterum Regum ac Heroum (Kempers) regimine & interitu, necnon de eorum ſepulturis deque anti-

antiquorum in Norwegia armis & inſignibus nonnulla refert.

§. XX. Ultimus qui huc pertinet eſt Anonymi tractatus vernaculus Norimb. 1685. 12mo ſub hoc titulo excuſus: Der Könige in Dennemarck Leben / Regierung und Abſterben / von dem erſten Könige Dan an / biß auff itztregierenden König Chriſtian V. aus den bewährteſten Däniſchen Geſchichtſchreibern hervorgeſucht und zuſammen getragen auch mit ihren wahrhafften Bildnißen ans Licht gegeben. Introductionis in Hiſtoriam Danicam loco iis erit, qui vel ob linguarum Danicæ & latinæ imperitiam, vel ob celebriorum auctorum defectum præſtantiſſimos Daniæ Hiſtoricos perluſtrare non poſſunt, quippe monumenta Hiſtorica, quotquot ad ſuas pervenerunt manus, tam diligenter ſecutus eſt auctor, ut hallucinationes quoque eorum retinuerit. Præterea liber Typothetæ incuria tam vitioſe impreſſus eſt, ut variis in locis vel apertè falſa vel manifeſto contradictoria compareant. Finit vero laborem cum bello Scondico & nuptiis ſubſecutis Regis Sueciæ cum Principe Daniæ Ulrica Eleonora A. 1680. celebratis.

§. XXI. Inter Univerſales Hiſtoriæ Danicæ ſcriptores ſecundum vulgarem hypotheſin, reponimus etiam eos, qui partem tantum hujus Hiſtoriæ, Univerſum tamen Regnum reſpicientem, tradiderunt Referri huc potuiſſent M. *Adamus Bremenſis*, *Helmoldus* & alii, quos ratione ætatis tamen Saxoni Grammatico & Suenoni præmiſimus. Pertinent etiam huc

Scriptores & Annales Francorum, Germanorum, Anglorum qui res Danicas ſuorum temporum attigerunt, quos citat Stephanius in notis ad Saxonem p. 2. & copioſius Illuſtris *Schurtzfleiſchius in diſſertatione* de rebus Danicis Notis ad §. 2. 3. & 4. alibique paſſim.

§. XXII. Speciatim huc veniunt (1) *Chronicon Regionum Septentrionalium Daniæ imprimis & Holſatiæ latinum ab Æra Chriſtianæ initio ad 1288. perductum*, cujus Codicem membranaceum ſatis antiquum Bibliotheca Hamburgenſis publica Lindebrogianæ benignitati debet, referente Mollero in Iſagog. P. I. p. 85. (2) *Aliud Chronicon Regionum Septentrionalium ab A. C. 800. ad A. 1483. Saxoniæ inferioris Dialecto conſcriptum*, ineditum & cum aliis MSSis Lindebrogianis in eadem Bibliotheca Hamb. reconditum, & l. c. p. 88. allegatum, cui adde Compendioſam Daniæ Regum hiſtoriam à primo Danorum Rege usque ad Chriſt. II. deductam, quam in eadem Bibliotheca Hamburg. MSam nuper offendi (3) *Regum aliquot Daniæ Genealogia & ſeries Anonymi ex veteri Codice MSo Chronici cujusdam Laudunenſis* (quod deſinit in Anno Chr, 1218.) *quam Henricus Ernſtius primum edidit, emendavit ac notis illuſtravit, in quibus hanc partem Danicæ Hiſtoriæ veritati aſſeruit, & à variorum corruptelis liberavit Soræ 1646. 8vo pag. 126.* Incipit hæc ſeries ab Haraldo Blatand ſeu cœrulei dentis Annoque Chriſti 931. & capitibus IX. pergit ad Canutum VI. ſive annum 1180. p. 43. H. Ernſtius citat *Althuſiii* Chronica Regum Daniæ, de quibus huc usque

 nihil

nihil comperire mihi licuit. (4) *Incerti Auctoris (qui vergente ſeculo XIII. vixiſſe fertur) Chronica Danorum & præcipue Sialandiæ, ſeu Chronologia Rerum Danicarum ab A.C.* 1028 -- 1282. *Cum Appendice Chronolog. usque ad A. 1307. ex veteri membrana eruit, primusque edidit Arnas Magnæus Lipſiæ 1695. 8o. pag.* 100. In præfatione Arnas Magnæus refert, ſe Chronicon hoc ex Codice MSo Bibliothecæ Academicæ Hafnienſis deſcripſiſſe. De auctoris Chronici hujus nomine nihil porro ſe comperiſſe ait, eum tamen natione Danum profeſſione autem Clericum fuiſſe & Anno 1282. obiiſſe non vanè conjicit. Cœterum de hoc Chronico teſtatur, multa in eo reperiri, quæ in aliis Danicæ hiſtoriæ Scriptoribus fruſtra quærantur, imò varia in illo offendi, quibus Adami Bremenſis hiſtoria uno alterove loco emendari poſſit. Chronicon ipſum ab A.C. 1028. usque ad A. 1282. protenditur, in quo varia ſpecialia hiſtorica apud alios non facilé obvia reperire licebit. Nugas tamen Pontificiorum in eo haud paucas contineri neminem, qui librum ipſum p. 40. ſqq. evolverit, fugere poteſt. Finito Chronico alia recenti manu MSo codici appoſita exhibentur, eaque continent, quæ ab A. C, 1136. -- 1214. contigere, & ab auctore Chronici noſtri omiſſa ſunt. Tandem. p. 79. usque ad finem, duæ leguntur diſtinctiones, quarum altera de *Eſchillo*, Danorum quondam Archi Epiſcopo, poſtea Monacho Claræ vallenſi, altera *de Venerabili Gerhardo Monacho* & Abbate Claræ vallenſi fuſius diſſerit.

rit. Aliena nec ad ſcopum pertinentia, quæ in hoc Chronico continentur diligenter notata videbis in Act. Erud. A. 1695. menſe Sept. p. 431. MSum hujus Chronici, quo illud variis in locis corrigitur & continuatur, habetur in Bibliotheca Dni *Thomæ Broderi Birchcrodii*, Ottoniæ in Fionia. (5) Danicarum & Suecicarum rerum narratio ſuccincta, ab A. 1510. -- 1520. Baſileæ 1574. fol. eadem in Tomo II. Rerum Germ. Schardii quoque reperitur.

§. XXIII. Quos hactenus enumeravimus rerum Danicarum Scriptores, ii omnes eadem fere cum Saxone Grammatico utuntur hypotheſi, Danum nempe I. gentis & Regni fuiſſe conditorem; quare horum primam quaſi ſectam aut claſſem, quam vulgarem poſſumus appellare, conſtituimus, hiſtoricorum ſc. Daniæ, qui Saxonem vel in omnibus ſequuntur, vel ab eodem ſaltem initio Dano videlicet I. ordiuntur; quibus & eos adjunximus, qui ab initio quidem Regni non incipiunt, ſed partem ſolum Hiſtoriæ Danicæ abſolvunt, ad ſequentes tamen, quas recenſebimus claſſes referri non poſſunt.

SECTIO

SECTIO TERTIA
De
SCRIPTORIBUS HISTORIÆ DANIÆ UNIVERSALIBUS SECUNDUM HYPOTHESIN GOTHLANDICAM.

§. I.

SEcunda nunc ſequitur claſſis eorum, qui Gothlandicam hypotheſin amplectuntur; quæ à Saxonis ſententia non quidem abit, quod Regum ſeriem poſt Danum I attinet, ſed longè altius origines Danicas repetit, Suedicorum Scriptorum nonnullis ut videtur æmula, ex arca feré Noachi & à Gomero II. Cimbros per varias orbis partes in Septentrionem, exiguo poſt Nimrodum tempore, deducit; Tria ampliſſima illorum in Aquilone conſtituit regna, Danicum ſeu Balthicum, Geticum ſeu Gothicum, Cimmerium ſeu Cimbricum; & varias eorundem expeditiones verſus Orientem Auſtrumque tradit.

§. II. Primus hanc hypotheſin ſcripto complexus eſt M. *Nicolaus Petrejus*, Paſtor primò Loderupenſis in Scania, præpoſitus deinde Sünderaaſii in Inſula Möna, denique Superintendens Jutiæ Auſtralis, *qui Cimbrorum & Gothorum origines, migrationes, bella atque colonias libris II. recenſuit*, circa A. 1570. uti in præfatione monet, qui eos ex MSo demum edidit Bibliopola Hafnienſis Lipſ. 1695. 8t. pag. 116. Majorem

jorem vero hujus ſcripti partem in MSo adhuc ineditam latere, teſtatur *Anas Magnæus* in literis ad Torfæum, vid. Seriem Dynaſt. & Regg. Dan. p. 67. Auctor Petræus in dedicatione ad Cancellarium Regium Friderici II. laudat Saxonem, quod Hiſtoriam Danicam ab Anno Mundi 2910. usque ad A. C. 1200. per 2250. annos egregie conſcripſerit, eundemque excuſat, quod res Dano I. Rege priores inveſtigare non potuerit, quia Gothia ſeu Gothlandia Inſula tum temporis nullius ſceptro ſubjecta fuerit, prætereaque ſuas origines, progreſſus & antiquitates de Cimbris, Longobardis & Normannis arctiori cuſtodia conſervaverint incolæ hujus inſulæ, quam ùt à Saxone haberi potuerint; quin ipſe auctor per 9. annos in Gothlandia dudum Daniæ ſubjecta, vix poſt multos labores, precesque plurimas, Gothica, quæ ſuperſunt, monumenta inſpicere potuerit, uti latius in præfatione libri II. p. 34. ſqq. memorat; ſupereſſe tamen Gothis i. e. Gothlandiæ incolis monumentorum hujusmodi ſpecies, titulos, ſepulchra, ſtatuas, Fana, ædificia, hiſtorias, cœteraque quæ cum omni vetuſtate contendere poſſent, teſtatur ibid p. 33. additque reſervari apud Judices Gothlandiæ fragmentum Chronicorum Gothica & Germanica lingua conſcriptum, at non facile eos extraneo inſpiciendi copiam concedere, cum eodem codice conſcriptæ ſint leges vetuſtiſſimæ & prætorem habuerint aliquando, qui Annales & Leges omnes, quas potuit, convaſaverit

quaſi

quaſi prelo traditurus, ſed cum nihil hujus generis reliquum apud incolas crederet, quicquid librorum nactus fuerat Vulcano tradiderit; tandem ſe offendiſſe ait opera ſcribæ cujusdam plauſtra Codicum in arce Wisborgenſi congeſtorum, ſqualore, ſitu & pulvere obſitorum, conceſſam quoque ſibi à *Joh. Bonſacco*, Abbate quondam Monaſterii Roma dicti, hiſtoriam Gothicam linguâ Gothicâ exaratam ſcribit; ex quibus omnibus & aliis documentis fideque digniſſimis hominibus Gothorum originem, poſteritatem & colonias in exteras nationes immiſſas tradere adductisque Scriptoribus probare promittit. Ipſe liber I. qui ad pag. 32. usque protenditur narrat, Gomerum II. A. M. 1850. è Boſphoro Cimmerico per Ruſſiam, Boruſſiam & alias Regiones in Cherſoneſum Septentrionalem perveniſſe, eamque ab eo Cimbricam vocatam eſſe. Porro probat Cimbrorum appellationem non ad Jutos ſaltem pertinere, ſed pro toto regno Daniæ ab auctoribus uſurpari, id quod variis auctorum teſtimoniis adductis oſtendit, ſimulque negat ullas unquam gentes, præter Danos, tempore belli Cimbrici Cimbros appellatos fuiſſe. De Inſulis Regni Daniæ partibus obſervat, *Seelandiam* olim *Middelslet* i, e. mediam planitiem, *Jutiam Widelslet* i, e. planitiem amplam, *Fioniam Fineslet* & *Scaniam* denique *Sconeſlet* à majoribus appellatam fuiſſe. Tandem Gomeri ſucceſſores in Regno Daniæ recenſet, eosque poſt Gomerum Segub, Aſer, Trud, Thielvar atque hujus filium Oſtridum fuiſſe

fuiſſe teſtatur. Liber II. Gothorum origines, ſedes & hiſtoriam tradit, Gothos nomen à Gutho Oſtridi filio (qui tempore Jacobi Patriarchæ floruerit) accepiſſe refert, qui, ut nominis ſui famam ad poſteros derivaret, populos ſibi ſubjectos Guthos appellavit. Eodem libro Gothorum antiquorum ſedes enarrantur, easque primùm in Scania, deinde in Gothia Occidentali, hinc in Borringholm & Gothlandia, porro in Scythia Europæa, & Moeſia ſuperiori & inferiori & tandem in Germania conſèdiſſe refertur. Denique Gothorum varia nomina, bella & irruptiones in Galliam, Italiam aliaque regna factæ enumerantur, recenſitisque Valdemari IV. & Margarethæ in Gothlandiam expeditionibus libro II. finis imponitur. Prolixiorem opuſculi hujus recenſum ſuppeditabunt Acta Erudit. A. 1695. menſ. Septembr. p. 432. quæ conferenda cum iis, quæ h. l. diximus, omnino erunt. In Danicum ſermonem libros hoſce II. Nicolai Petreji transtulit *Nicolaus Michaelis*, templi Holmenſis, quod Hafniæ eſt, Paſtor & Præpoſitus, edere quoque eos voluit Danicè verſos ſub titulo: Danmarcks Förſte begyndelſe og herkomſt / ſed verſio ejus publici juris non facta eſt. Vicem hanc poſtea ſupplevit auctor quidam Anonymus L. W. (quem ego Ludovicum Winslövium crediderim) qui libros hoſce Danice verſos Hafn. 1706. 8t. edidit ſub titulo: Cimbers og Gothers Aeldgamle Herkomſt og Handel &c. Germanice quoque ſcriptum hoc licet haud bene verſum Hafn. 1699.

8t.

8t. prodiit ſub titulo: Die von Japhet herſtammende Cimbern, oder gründlicher und vollkommener Bericht von den alten Cimbriſchen und Gothiſchen Völckern ihrem Uhrſprunge / herkommen / gethanen Zügen / geführten Kriegen / und gebräuchlichen Lebens-Arten / auch was ſonſten merckwürdig vorgefallen; alles mit beglaubter Feder in 2. Büchern dargeſtellet von M. Nicolao Petrejo, vormahls in Lateiniſcher Sprache von dem Autore beſchrieben / nunmehro aber auff vielfältiges Anſuchen ins teutſche überſetzet. Cœterum de hoc ſcripto (latino np.) teſtatur *Petrus Winslovius* in ſpicilegio Arctoo p. 11. fere omnia ea, quæ habet Cl. Lyſchander in opere Genealogico Regum Daniæ debere eum M. Nicolao Petrejo, Hafnienſi. Inter Petræi autem plagiarios ab editore Bibliopola in præfatione refertur *Joh. Nicol. Strelovius*, quem in Chronico Guthilandorum p. 6. -- 34. partem libri hujus Petræani II. auctore non nominato exſcripſiſſe fatetur, à qua tamen imputatione excuſari poſſe videtur, cum Strelovius in dedicatione ad Chronicon, Petrejum eruditum ſingulari ductum ſtudio veteres res geſtas eruendi, quæcunque in hac inſula invenerit latine edidiſſe, ſcribat, conf. inſuper de auctore hoc *Mollerus* in Biblioth. Septentr. eruditi p. 293.

§. III. Petrejum ſecutus eſt *Claudius Chriſtophori Lyſchander* Hiſtoriographus Regius, cujus extat: *Synopſis Hiſtoriarum Danicarum* En kort *Summa* over den Danſcke Hiſtorie / fra Nordens begyndelſe til vaervarendis og nu regerendis Stor-

Stormagtiſte Forſtis Chriſtian *IV.* tid og *Regimente*, ferfattet udi de Danſke Köngers Slä-ctebog / ſo meget man af gamle og ſandfärdige Danſke / *Cimber*ſke / *Goth*iſke / *Italiän*ſke / Hiſpanſke / Frantzoiſke ꝛc. *Hiſtorier* / *Antiquitäter* / og *Documenter* / Hafner at forſere af *Claudio Chriſtophoro Lyſchandro Hafn. 1622.* fol. p. 706. h. e. *Synopſis Hiſtoriarum Danicarum ab initio mundi usque ad jam regnantis Regis Chriſtiani IV. tempora, opere Regum Daniæ Genealogico comprehenſa, quantum ex vetuſtis & certis Danicis, Cimbricis, Gothicis, Italicis &c. hiſtoriis, antiquitatibus & documentis explorari potuit à Lyſchandro &c.*

In dedicatione auctor enumerat varios veterum memoriam rerum conſervandi modos, donec Chriſtianiſmus latinas attulerit literas, quibus uſi Hiſtorici primó quidem externi, ut Adamus Bremenſis, Æthelnotus, Helmodus &c. multa Danicas res ſpectantia conſcripſerunt, donec tandem Waldemarus I. & Archi Epiſcopus Abſolon, Suenonem & Saxonem, ipſos Danos ad hæc ſtudia excitarunt, quorum ultimum auctor potiſſimum ſecutus, ita ut ex aliis ſuppleverit, quæ Saxo non habet; inde de utilitate Hiſtoriographorum & Regum Daniæ in eos amore diſſerit, deque ſuo ipſius labore monet, quod licet à Chriſto nato Hiſtoriam Daniæ repetere tantúm à Rege juſſus, eandem tamen ab origine mundi accerſiverit. Ipſum opus tribus partibus abſolvitur

 quarum

quarum I. continet quinque libros, agitque (1) de mundi creatione & Patriarcharum genealogia ab Adamo ad *N*oachum & diluvium (2) de Noacho ejusque filiis, quomodo ii exiverint, novas quæſitum ſedes, per totum diſperſi orbem, ſpeciatim vero de benedicto Semo ejusque poſteris. (3) de Japheto Noachi filio, ejusque filio Gomero, & nepote Aſcane, Patre Cimmeriorum & Cimbrorum, deque horum liberis, Vithis ſeu Jutis Danicis, de horum primis Patribus, Judicibus ac Principibus à diluvio usque ad regni initium. (4) de veterum Guthlandorum prima origine, cognatis, à potenti Gutho usque ad Bericonis & Gothorum emigrationem. (5) de Gothis, Getis, Gytingis ac Gydingis, eorum migratione ex Dania, victoriis, potentia & regimine in peregrinis Regnis, aliisque illorum geſtis usque ad hæc tempora. Pars II. complectitur libros XI. continentes (1) Regum Daniæ breve Chronicon à Dano I. usque ad Chriſtophorum Bavarum, cum eorundem familiis, poſteris & cognatis, à libro I -- VII. (2) Hiſtoriam Vandalorum ſeu Venedorum & Longebardorum Danicorum, libro VIII. (3) Obotritica & Mecklenburgica, libro IX. (4) Originem Regiæ familiæ Anglicæ à familia Regia Danica libro X. (5) Ortum Normannorum Rolfonis, ejus liberorum ac poſterorum emigrationem ex Dania in Angliam, Friſiam, Galliam &c. Hiſtoriam item Tancredi, occupantis Siciliam, Calabriam, Apuliam &c. usque ad Henricum VI. Imperatorem

torem libro XI. Pars denique IIItia de familia Oldenburgica agit libris XIII. conſtans, quorum hic brevis erit Syllabus (1) de Rege Gotrico ejusque filiæ Gevæ & Wittekindi M. familia, ex qua omnia fere nobiliora Chriſtianiſmi ſtemmata deducenda (2) de familia Saxonica a Wittekindo M. & Geva eorumque liberis usque ad Ottonem M. (3) ab Ottone M. usque ad Conradum & Fridericum Barbaroſſam é familia Suevica. (4) De Ducibus Bavariæ, Rege Daniæ Chriſtophoro, à Sigefrido Ottonis M. ſororis filio oriundo usque ad hodiernos Duces Bavariæ (5) de familia Electorali Saxonico-Miſnica, ejusque affinitate cum Daniæ Regibus, oriunda etiam à Gotrici filia Geva, ejusque deſcendente Friderico Hohenſtaufio, usque ad præſens tempus (6) de familia Electorali Brandeburgica, à Geva ac Eliſabetha Friderici Gravis filia usque ad Annam Catharinam, Daniæ Reginam Chriſtiani IV. conjugem (7) de Domo Brunſvicenſi, ejusque cum Dania affinitate & cognatione (8) de familia Regia Gallica ab Hugone Capeto, Danicæ cognata, item de Burbonico-Navarrica huc usque deducta. (9) de Stemmate Oldenburgico, à Gormone & Wittekindo M. usque ad Wittekindum IV. (10) de linea Regia Hieroſolymitana à Wittekindo IVto oriunda, usque ad Imodum & domū Ringelheimenſem (11) de Allobrogibus Romanis & Græcis Imperatoribus, Regibus Siciliæ, Galliæ, Portugalliæ &c. ab Imodo oriundis, usque ad Ringebertum Ducem

Angriæ & Weſtphaliæ (12) de Ringelheimenſi, Angrivaria, Weſtphalica, Oldenburgica & Dalmenhorſtana familia, á Ringeberto usque ad Chriſtianum I. Daniæ R. (13) de ſtemmate Oldenburgico Danico Regio á Chriſtiano I. usque ad Chriſt. V. Daniæ Principem electum. De Claudio Lyſchandro præterea vid. Cl Mollerus in Bibl. Sept. eruditi p. 200. ſqq. & Spicilegio Hypomn. p. 12. ſq.

§. IV. Poſt Lyſchandrum eandem ſententiam explicavit *Joh. Nicolaus Strelovius* cujus extant: *Chronica Guthilandorum*, den *Guthilandiſche* Krönicke/ hvorudi beſkrivis/ hvorledis Guthiland er opſöyt oc paafundet/ med Indbyggere beſett/ ſtore oc mectige Forendringer udſtaet/ blefven af ſyne megtige Heltis oc Indfödis Gierninger oc Driffter/ over alle Verden avenbaret oc naſekundiget/ it ſtritbare oc frimodig Folck/ *contracteret* med Konningen af Sverrig deris Nabor/ omvent til den Chriſtelig Troe af *S. Olao* Konning i Norrige/ ligget til Lindkiöpings Stickt/ af Konning Valdemar den *IV.* i Dannemarck overvundet/ deris Friheder frataget/ Stappeln forſtöret med hvis mere ſig hafver tildraget/ under hvis Tid oc Aarstall/ ſaa meget ſan hafrer värit at ſanke oc udſöyn af Hans Nielſon Strelov/ Guthilender/ Sogne-Preſt til Walde Hufgren Sogner paa *Guthiland* Hafn. *1633.* 4to h. eſt. Chronica Guthilandorum, in qua deſcribitur, quomodo Guthilandia quæſita & inventa, incolis impleta, magnas mutationes paſſa, potentium ſuorum he-

roum

roum & civium rebus geſtis per totum orbem celebrata; quæ populus hic fortis & bellicoſus tractaverit cum vicinis Sueciæ Regibus, quomodo ab Olao S. Norwegiæ Rege ad Chriſtianam religionem converſus, capitulo Lincopienſi adjectus, à Rege Daniæ Valdemaro IV. victus, privilegiis exutus, ejusque Stapulæ de" ſtructæ ſint; & quæcunque alia, notato rei cu-" jusvis tempore ac anno, acciderunt & inveni-" ri colligique potuerunt à Joh. Nic. Strelovio, " Guthilando, Paſtore Primario Eccleſiarum " Waldæ & Hufgrenæ in Inſula Guthiland" Hafn. 1633. 4to recuſa ſecundum Petri Sca-" venii catalogum ibid 1650.

In dedicatione ad Chriſtianum IV. Regem auctor memorat, ſe ante 18. annos hiſtoriam Guthilandicam ſcribendi conſilium cepiſſe; dolet ea monumenta, quæ veteres Guthi migrationem inſtituentes, aſſeribus, corticibus, ſaxis &c. literis Runicis inſcripſerint, de majorum ſuorum propriisque factis & rebus geſtis, adeò turpiter erepta & deſtructa eſſe; Primo enim *Magnum Sture* è Suecia profugum, Inſulæ Gubernatorem factum, omnia documenta, Chronica &c. quæ in tota regione reperire potuit, collegiſſe & exinde perfectum Chronicon promiſiſſe, ſed contra datam fidem ex invidia omnia concremaſſe. Deinde *Antonellum Arcemboldum* Pontificis Legatum, in Guthilandiam cum indulgentiis ſuis veniſſe, omniaque documenta, quæ conquirere potuit, flammis dediſſe. Hinc *Nicolai Petræi*, ſupra

laudati, *Nicolai Scabou*, Conſulis Wisbyenſis & M. *Davidis Biblefeldii*, Guthilandiæ Superintendentis, ſtudia in conquirendis patriæ monumentis poſita, prædicat, quorum ultimum ad D. Davidem Chytræum Roſtochium miſiſſe ea quæ invenerat à Chytræo Chronico ſuo illata, tradit. In præf. notat auctor Hiſtoricos, qui Gothorum facta & gloriam ſuis nationibus tribuerint, narratque breviter nominis & gentis originem à Guthi & Jutia Daniæ, olim Guthlandia dicta, deducendam; eorundem poſt inſignia explicat, agnum & lilia, Huitteſthiennæ, Thielvaris conjugi, gentilitia, in moneta quoque & ſigillis veterum reperiunda, quibus non nunquam duæ columbæ additæ fuerint; Conclave Gothorum Wisbiæ, veterum comitiis dicatum, aliaque vetuſtatis Gothicæ indicia allegat; & dictum agnum, poſt introductum Chriſtianismum in agnum Dei cum Cruce & vexillo mutatum fuiſſe monet. &c.

In ipſo opere notat auctor Inſulam Guthiland, Gothland ſeu Guland promiſcue dictam, nomen ſuum à Thielvaro in memoriam Patris Guthi accepiſſe, qui ſextus Cimbrorum ſeu Guthorum Judex fuerit; eſſe eam longam 18. latam 6. magna milliaria; unicum habere Emporium Wisbye, cum forti arce Wisborg; plurimis circumdari parvis inſulis. Inventa eadem creditur ſecundum antiquitates domeſticas à Thielvaro II. A. M. 2264. deſcribuntur deinde ejusdem portus, ſitus & fertilitas, dividitur ipſa in tres Partes (ſeu Treding) Meridio-

nalem

nalem 29 Parochias, Mediam 34 Parochias & Septentrionalem 30. parochias complexam; quævis pars ſuum habet Præpoſitum & bina Judicia, (Hettings l. Herrißdommer) quæ ſex judicia ſubdividuntur in 21 inferiora (Herredeerne ſ. Ting.) Emigrantibus Gothis in itinere Boer ſ. Born inveniſſe & de ſe appellaſſe dicitur Inſulam Bornholm, ſimulque recenſetur diviſio hujus inſulæ in tres partes ſ. Tredinger inter Huitteſtiennæ filios np. Guthi, Grippa, Gumphiu A. M. 2266. factam. Inde auctor perſequitur Oſtgothorum Hiſtoriam & migrationes in Oeſeliam, Livoniam, Muſcoviam & Thraciam & ſpeciatim Erici ſeu Bericonis iter in Pomeraniam, Poloniam, Mecklenburgum aliasque regiones, additque Weſt-Gothorum quoque hiſtoriam & excurſiones, & poſt hæc eorum Gothorum, qui in hac inſula permanſerunt, res geſtas enarrat, agitque de urbe Wisby ejusque jure municipali A. 1158. à Cæſare Lothario eidem collato, necnon de S. Olao Rege Norwegiæ, Chriſtianiſmi Gothorum auctore differit, totumque Chronicon deducit ad A. C. 1633. De fide hujus Hiſtoriæ conferendum Schurtzfleiſchii judicium, quod allegatur à Clmo Mollero in Hypomn. ad Barthol. p. 292. ſq.

§. V. Ad hanc quoque hypotheſin melius intelligendam faciunt, *Antiquitatum Danicarum ſermones XVI. ex Bojaricæ Hiſtoriæ Joh. Aventini libro I. ſelecti & novis Commentari-*

tariis Joh. Lyſchandri, Bramenſis, illuſtrati & ex Bibliotheca Academiæ Hafn. in lucem editi opera Erici Olai Jormii, Mathem. P. P. Hafn. 1642. 4to pag. 155. absque dedicatione & Indice. In principio ſtatim libri tabula Synoptica conſpicitur, quæ ſummam totius Operis repræſentat. In duas videlicet partes diſpeſcitur liber, unam Chorographicam alteram Hiſtoricam. Chorographica continet generalem totius Germaniæ & Cimbrici Orbis nec non Regionum Aquilonarium Hiſtoriam, à quo nempe Patre Cimbri deſcendant, per quas regiones in noſtrum Orbem proceſſerint, & quando in terras Balthicas pervenerint. Patrem Cimbrorum Tuiſconem fuiſſe ait auctor, quem A. 1060. ante Danum vixiſſe Aventinus perhibet. Regiones per quas in orbem noſtrum proceſſerint, Armeniam majoris Aſiæ fuiſſe ſtatuit, annum autem quando in terras Balthicas pervenerint à mundo condito 1787. ſive poſt diluvium 131mum fuiſſe aſſerit. Putat tamen Lyſchander, narrationem hanc non adeo firmo ſtare talo, interim fatetur à feſtivo ingenio eam eſſe conſtructam, & Hiſtoriam quandam notabilem ficta quaſi ſpecie includere. Pars Hiſtorica tractat res vel *internas* vel *externas*. Ad *internas*, quæ vulgò antiquitates audiunt, refert propagationem Cimbrici populi per tria ampliſſima & Archi Regalia Cimbrorum Regna in Aquilone, quæ illi ſunt *Regnum Dacicum* ſeu *Balthicum*, *Regnum Geticum* ſeu Gothicum

Regnum

Regnum *Cimmericum* ſeu Cimbricum. Ad *externas* res referuntur, expeditiones Cimbrorum vel in Orientem vel in Auſtrum. Inter expeditiones in orientem duæ præcipué eminent 1) *Getica* in Aſiam per Dardanum Corythi, Regis Italiæ filium natu minorem facta anno poſt diluvium 828. quam expeditionem per tabulam eleganter deſcribit Lyſchander p. 118. 119. (2) *Cimmerica*, anno O. C. 2373. facta. Expeditiones in Auſtrum tres præcipué memorantur, 1) *Gallo-Cimbrica* regnante Tarquinio Inſulano, ductoribus Belloveſo, Sigeveſo, Medono & Helitonio A. M. 3440. facta, quæ migratio primus perhibetur Cimbrorum, Germanorum & Gallorum in Italiam acceſſus (2) *Angilo-Cimbrica*, ſic dicta, quia â præcipuo populo Angilorum & Cimbrorum nec non Suevorum & Sueonum A. M. 3570. in Italiam inſtituta eſt. (3) *Teuto Cimbrica* omnium maxima & celeberrima A. M. 3850. i. e. ante natum Chriſtum 112. facta. Ad hæc omnia adjectus eſt Commentarius Lyſchandri, in quo varia eruditè obſervata ſunt, præprimis notari merentur, quæ p. 142. ſqq. de Angilorum gente veteri doctè diſſeruntur. Commentario ſubjecta eſt Genealogica tabula Regum Daniæ, qui tempore Caroli M. vixerunt Ultimo denique Index rerum & verborumm hujus opuſculi conſpicitur. De auctore *Joh; Lyſchandro* notat Cl. Mollerus in ſpicileg. Hypomn. ad Barthol. p. 44. eum A. 1582. in Hungaria morte immatura extinctum eſſe. In eo vero exemplari, quo nos uſi

ſumus quod Petri Syve ſive Septimii quondam fuit, manu ejus adſcriptum eſt, Lyſchandrum Lipſiæ 1582. peſte correptum obiiſſe. Cœterum de ſermonibus hiſce Lyſchandri confer omnino Dav. Chytræi Epiſtolam ad Regem Frider. II, apud Pontanum in notis ad Chorograph. p. 808. ſq.

§. VI. Magnam hæc ſi genuina, rebus Septentrionalibus lucem afferunt; præterea veterum Scriptorum teſtimonia de Gothorum é Scandia egreſſu, egregiè confirmant, imò emigrationis illius tempus clare aperiunt. Judicat ita, antiquitatum Septentrionalium conſultiſſimus Torfæus in Serie Dynaſt. & Reg. Dan. libri I. capite VIII. p. 66. ſqq. ubi hanc hypotheſin, uti reliquas omnes ſuis locis, examinat, Lyſchandrum Principem hujus traditionis patronum propoſuit, ejusdemque opinionis ſumma capite ex Verelii notis ad Gotrici & HROLFI Hiſtoriam aliisque repetit; & fundamentum Lyſchandri ex literis Arnæ Magnæi, ſupra recenſitum Nicolai Petræi librum eſſe oſtendit. Hujus libri Petræjani exemplar MSum ex Comitis *Magni de la Gardie* Bibliotheca habüit *Verelius*, cui manu Stephanii, qui eodem uſus fuerat, adſcriptum eſt. *Hæc accepi A. 1646. die 23. Octobr. ab errone quodam, qui ſcriptor fuerat M. Claudii Chriſtophori Lyſchandri, ejusque ſe ſcrinia compilaſſe aperte profitebatur.* Ipſius Lyſchandri quoque audaciam à *Willichio Weſthovio*, Cimbro, egregiè caſtigatam eſſe ex Verelio ibidem addit Torfæus. Præmittit hinc

hinc Verelii cenſuram harum traditionum: *Fuiſſent certe*, inquit, *inſignis antiquitatis theſaurus, ſi genuinæ hæ traditiones; ſed admotis oculis turpis ærugo ſe prodit; Nihil jam de eo dicam, quod Gothos non à Gomer ſed à Magog Iſidorus & cæteri Antiquitatum conſulti derivent; ipſa Chronologia ſingulis Regum temporibus tam accuratè adſcripta, certiſſimum eſt argumentum falſitatis. Nulla quippe monumenta hiſtorica ante Chriſtiana ſacra huc illata, certa temporum nota inſignita ſunt, niſi qua ex Synchroniſmis ætates colligi poſſint; nedum ut à diluvio tempora ſupputaverint.* Conſentit his Torfæus, & cumulatam fortunam ſuſpectam habens ſua ſubjungit dubia, ſuasque obſervationes:

1) miraculo proximum videri, hæc monumenta contra omnium reliquorum fatum in Archivis, neſcio quibus, reſervata fuiſſe & omnium Scriptorum fruſtrata induſtriam nunc primum prodiiſſe.

2) æque mirandum eſſe, locorum nomina propria mediis temporibus aliter, quam in Gothlandicis documentis pronunciata nunc poſtliminio in originariam linguam illam transfuſa eſſe.

3) ipſum gentis idioma tot annorum millenariis vel mutilatum vel proſcriptum, nunc in integrum reſtitutum eſſe.

4) Patriarcharum memoriam à Gomero non

non adductam eſſe, aut in tam cœcam oblivionem abiiſſe, ut poſteriores Ethnici nil quicquam de iis audiverint.

5) Secundum Buchananum, qui de veteribus annalibus originem afferre ſe aſſeverant, reddendam illis rationem eſſe, quis primus iſta tradiderit, ubi tam diu latuerint, quomodo ad nos poſt tota ſecula incorrupta pervenerint.

6) Ipſum Lyſchandrum in præfatione libri V. Operis Genealogici confiteri, in Dania aut regnis Septentrionalibus parum aut nihil conſtare, quæ de Gothorum iisque propinquorum fortitudine geſtisque Martiis antiqui & probati Scriptores Græci & Latini admodum celebrant; id quod tempori, Marti, incolis, ignoſcendum; cum ille Scriptores ex his Regnis eliminaverit, & hi poſteros inſtruere, factorumque notitiam ad ſeros Nepotes traducere neglexerint.

7) Ex Synchroniſmis, in tanto omnium de Septentrione illis ſeculis ſilentio, nihil haberi poſſe, cum tota Germania Taciti tempore literas ignoraverit, & ſi quid antiquiſſimos Poetas de rebus quæ monumentis hiſce Gothlandicis continentur, numeris ſuis complexos eſſe velimus, iſtud jam Saxonis tempore interierit.

8) Textum Gothicum, fundamentum hujus opinionis neque antiquæ neque hodiernæ linguæ genium exprimere, monſtrum eſſe, à tyrone linguæ veteris conſcriptum.

9)

9) Denominationes & compoſitiones imperitas ex monumento iſto Lyſchandrum exhibere, quod p. 76. & 77. exemplis oſtendit.

10) Alias nationes non affectare tantam antiquitatem, ſic Britannos ante Julii Cæſaris tempora nil de Britannis exploratè cognitum habere, teſte Cambdeno; Ubbonem Emmium Friſiorum hiſtoricum gravem & luculentum ultra nati Chriſti Epocham ſuæ gentis originem non extendere &c.

§. VII. Ut autem de fundamento hujus hypotheſeos curioſo Lectori eò melius conſtet, ipſum monumentum Gothlandicum, apud Claudium Lyſchandrum literis Runicis obvium in opere Genealog. p. 23. & ex Verelio apud Torfæum l. c. p, 70. allegatum, à Johanne vero Suaningio Juniore prolegom, Chron. Dan. inſertum, hic ex verſione ejusdem latina exhibere non pigebit:

Japhet filius Noachi tertius ſuſtulit filium nomine Gomerum, qui Wallandiam uſu ſuam fecit; Togorma autem filius Gomeri in Aſiam minorem (quæ olim Phrygia vocabatur) tranſiit, vocavitque itineris ſui ſocios Tygranos. Contigit migratio hæc Anno à M. C. 1830. vivo Sarugo, Abrahami Avo. Poſtea Gomerus II. Togormæ filius maritimo itinere commigravit in Europam, tertiam orbis habitabilis partem, conſeditque aliquamdiu in regione Scytharum, prope paludem magnam Oceani genitricem. Elapſis autem à crea-

creatione mundi annis 1850. Coloniam duxit Gomerus Iunior, è Scythia per varias provincias in Septentrionem, excoluitque terram Vithilandiam, quæ hodie Jutia vel Cimbria nuncupatur, mari Boreali affinem.

SECTIO QUARTA.

De

SCRIPTORIBUS HISTORIÆ DANICÆ UNIVERSALIBUS ſecundum Hypotheſin Iſlandorum.

§. I.

SUccedit denique tertia, quæ Iſlandorum eſt, hypotheſis; Hæc neque Danum Regem primum Daniæ conſtituit, neque initium regni hiſtoricum ad tam antiqua cum Saxone tempora, multo minus ad Gomerum II. diluvio Noachico proximum refert. Sed ab Odini ex Aſia per Schythicas terras in Saxoniam ſive Holſatiam, Daniam & Sueciam immigratione, poſt Cimbricam adverſus Romanos expeditionem, paulò ante Chriſtum natum facta & á Scioldo I. Daniæ Rege ordi-tur. Quæ ſententia cùm antiquis Iſlandorum monumentis nitatur, operæ pretium erit, videre, quomodo hi extremi hominum potiſſimum hiſtoriam conſervarint, quænam illorum ſcripta ſint, qui eadem compoſuerint, & quam fidem mereantur.

§. II.

§. II. Ex quo igitur tempore Haraldus Pulchricomus ſubactis aut expulſis omnibus, qui ante in Norwegia fuerant, Regulis, rerum potitus, ex æquo in omnes graſſabatur; nobiliſſimus quisque divitiis & potentia maximè pollens ſtrenuiſſimè tam inſuetum inviſumque imperium detrectabat; adeò ut maluerint plurimi opulentis prædiis & patriâ excedere, quam generoſitatem ſuam ſervitiô commutare; ſua id & Majorum virtute prorſus indignum rati. Ab his igitur nobilibus familiis Haraldinam vim detrectantibus Inſula Iſlandiæ incoli cœpit A. C. 874. uti latius id ex vetuſtis monumentis expoſuit Doctiſſimus *Arngrimus Jonas* in ſuis de Iſlandia ſcriptis; vide tractatum de Islandia excerptum in tractatibus variis de Regno Dan. & Norweg. p. 386. ſqq. Hujus itaque incolæ cum ob nativam ſoli ſterilitatem luxuriæ nutrimentis carentes continuæ ſobrietatis officia exerceant, omniaque vitæ momenta ad excolendam alienorum operum notitiam conferre ſoleant, inopiam ingenio penſant. Cunctarum quippe nationum res geſtas cognoſſe memoriæque mandare voluptatis loco reputant, non minoris gloriæ judicantes alienas virtutes diſſerere, quam proprias exhibere, Vid. Saxonem Grammat. in præfat. Hiſtor. p. 2. Eodem ſcilicet modo atque Athenienſes, qui teſtibus Thucydide libr. I. & Strabone libr. VIII. propter ſterilitatem ſoli, ſcientias excoluerunt.

§. III.

§. III. Magnæ quippe dignitatis familiæ que illuſtris primi incolæ, vetuſtiſſimarum rerum memoriam & carmina antiquiſſima memoriter conſervata, patriâ cedentes ſecum in Iſlandiam tranſtulerunt, poſterosque ibi docuerunt. Recentiora filii horum Iſlandi mercaturæ exercendæ, militarium artium addiſcendarum, aut alterius rei cauſa inter Norwegiam & Islandiam quotannis transmeantes in patriam invexerunt; imò plurima eorum, quorum fragmenta ſuperſunt, ipſi pepigerunt. Quæ carmina licet vetuſtarum hiſtoriarum non niſi breviaria eſſent, accedebant tamen illorum explicationes, & rerum iis contentarum expoſitiones uberiores, quas callere atque in obſcura ipſorum carminum loca ſolidè commentari poſſe magna pars eruditionis erat; ipſi quoque hi Commentarii memoria hominum æque ac carmina diu conſervati, hiſtoricis poſtea magno adjumento fuerunt. Continebant ipſa carmina, Regum, Principum aliorumve magni nominis Virorum Genealogias, fortia facta, res alias præclarè geſtas, Chronologicè non rarò inibi recenſitas, quarum rerum notitiam autores anxie conquiſiverant, longo ſæpe per aliquot annos itinere. Relationes præterea non ſcriptas ex parentum avorumque ore auditu exceptas, filii nepotesque memoriâ conſervabant: ſuisque poſteris eadem ratione tradebant, donec tandem ad eos pervenirent, qui literarum beneficio illas ab interitu vindicarint. Vid. Torfæus Serie Dynaſt.

Dynaſt. & Reg. p. 53. 55. 56. & 57. ubi hæc amplius exponit; cui conſentit Thom. Bartholinus in antiqu. Dan. lib. I. cap. XI. imprimis pag. 185. & 189. ubi variorum teſtimoniis, nec non Hiſtoriæ Jomsburgenſium vitæque Olai Tryggwini aliisque exemplis id oſtendit. Et huc præſertim refer ſuperius de fundamentis veteris hiſtoriæ dicta.

§. IV. Ex priſcis igitur & veracibus carminibus vel veterum relationes ſecuti Islandi fideliter, judice Bartholino l. c. pag. 198. non ſolum ſuas, ſed & vicinarum nationum hiſtorias ſcripſerunt. Cum enim patriæ res ſollicitè deſcripſiſſent, Regum Principumque Norwegorum vitas (quorum memoriam primi Islandiæ Aborigines ſecum eò devexerunt, qui vetuſtiores res Norwegiæ ignorare non poterant) ſubjectarumque Provinciarum Grönlandiæ Fareyarum, atque Orcadum res adjecerunt. Progreſſi deinde ad Danos, multos gentis illius Heroes ſcriptis celebrarunt; nec Suecorum res ſicco pede præterierunt; Extant enim monumenta quædam gentis illius ab Islandis mutuata. (Illorum autem res cognoverunt ex illis, qui Daniæ Svediæque Regibus Magnatibusque orti varia Islandiæ loca occuparunt.) Memorata præterea ab iis ſunt quædam rerum Anglicarum & Hibernicarum; Scotiæ autem & Hæbudum paſſim meminit Orcadenſium hiſtoria. Inde ad Saxoniam, Galliam & Italiam tranſitum, de quarum aliis plura aliis pauciora literis conſignarunt, uti

docet magnus Septentrionalium antiqvitatum indagator *Thormodus Torffæus* in præfat. ad Hiſt. rerum Orcadenſium. Neque ſolummodò æſtimantur Islandi à recentiorum doctiſſimis, ſed tales à vetuſtiſſimis rerum Septentrionalium habiti ſunt. Primus *Theodoricus Monachus* in prologo Hiſtoriæ Norwegicæ pag. 1. Antiquitates, ait, Regum Norwegiæ ſagaciter ſe perquiſiviſſe, ab eis, penes qvos horum memoria præcipuè vigere creditur, qvos Islendingos vocant, qui hæc in ſuis antiqvis carminibus percelebrata recolunt; & cap. I. ipſius Hiſtoriæ, conſtare fatetur Islendingos ſine ulla dubitatione præ omnibus Aquilonaribus populis in hujusmodi (hiſtoria & Chronologia) ſemper & peritiores & curioſiores extitiſſe. Deinde *Sueno Aggonis* eosdem potiſſimùm in concinnanda ſua hiſtoria ſecutus eſt, uti in initio opuſculi pag. 7. 8. ipſe monet, & ad eum Stephanius in notis pag. 13. ſqq. obſervat. *Saxo Grammaticus*, Thylenſium (i. e. Islandorum ex vulgari ab Arngrimo ſatis refutata opinione, Islandiam veterum Thulen eſſe) induſtriam ſilentio non obliterandam, cenſet; qvorum theſauros Hiſtoricarum rerum pignoribus refertos curioſius conſuluerit, & haud parvam ſui operis partem ex eorum relationis imitatione contexuerit, nec arbitros habere contempſerit, quos tanta vetuſtatis peritia callere cognoverit, uti profitetur in præfatione citata p. 2. *Snorro Sturleſonius* in præfatione Hiſtoriæ Norweg. fatetur, ſe vetuſtiſſimos &

fide

fide dignos Scaldos ſecutum eſſe; fuiſſe vero maximam Scaldorum partem ex Islandia oriundam ſupra jam monuimus. *Petrus Claudii*, Paſtor Undalinus in Norvvegia circa A. 1600. in deſcriptione Regni Norvvegiæ ſubjectarumque Inſularum, hunc in ſenſum ſcripſit: Islandi cum ſe militaribus artibus bellisve adverſus exteras nationes exercendi occaſionem non haberent, ſcriptioni librorumque compoſitioni operam dederunt. Varios in eorum Inſula libros olim conſcriptos eſſe conſtat, atque imprimis brevem Coſmographiam, eiqve annexam Chronologiam, deſcribentem totius orbis Regiones ac Regna, & quinam Reges celebrioribus regnis præfuerint, usque ad magnam illam peſtem Anni 1350. præcipue autem quæ in Borealibus hiſce terris contigerint, omnia ad ſuos annos diligenter annotata. Præterea Islandi in ſuum idioma multos libros tranſtulerunt, præcipue Hiſtoricos, qui etiamnum in eorum patria inveniuntur, multique eorum huc (in Norvvegiam) perlati ſunt. Nec minus Gallorum, Anglorum aliarumque nationum hiſtorias in ſuam lingvam tranſtulerunt. Ericus Brockenhouſius, Nobilis Norvvegus, qui circa A. 1567. Præfecturam Mandalenſem gubernavit, ſe integra Biblia in Islandicam lingvam transfuſa atque ante 300. annos exarata, vidiſſe aſſeveravit, addiditque, primas ſingulorum capitum literas aureas fuiſſe. Tandem multorum ex vetuſtate pugilum hiſtoriæ alibi non extantes in Islandia inveni-

untur. *Nicolaus* qvoqve *Kraagius*, Hiſtoriographus Regius, Petro Claudii σύγχρονος, Vir doctus & prudens, in Epiſtola ad Arngrimum Jonam, Islandum: Omnes, ait, noſtros ſpes habet, in veteri Hiſtoria nusquam certiora & veriora, quam apud vos exſtare, propter ea quæ Saxo de veſtris ſcripſit, vid. Bartholini Antiqq. Dan. p. 184. *Stephanius* in Saxonem Grammaticum p. 16. idem teſtatur, ſcribens: Nihil certius eſſe, quam quod olim habuerint Islandi innumeras variarum gentium hiſtorias, & à ſe & ab aliis conſcriptas, quarum tamen maximam partem injuria temporis intercidiſſe; quanto vero ſtudio cognoſcendis aliarum nationum rebus incubuerint Islandi, colligere licere ex iis, quæ hodieque ſuperant, monumentis, magnoque in pretio in Islandia habentur. *Thom. Bartholinus* junior pari ratione toto cap. XI. oſtendit, qvanto in pretio habeat Islandorum monumenta. Vid. Antiqv. Danicar. modo citatum libr. I. cap. XI. Quamquam vero illuſtris *G. G. Leibnitius* in Epiſtola Novis Literariis Maris Balthici An. 1699. menſe Auguſto pag. 145. inſerta, ita de Islandorum Sagis ſ. monumentis Hiſtoricis judicet: *Cæterum cum Sagæ illæ plerumque ſint valdè recentes, & ſomniis pleniſſimæ, nec inter ſe aut cum Saxone conſentientes, non multum illis in antiquis Septentrionis rebus tribuendum exiſtimo.* Ad hæc tamen verius celeberrimus *Sperlingius* in Epiſtola iisdem Novis

vis Lit. pag. 366. inſerta ita reſpondit: *Sagas ego illorum* (ſc. Islandorum) *magnæ fidei multoque honore antiquitatis ſolidæ munitas eſſe exiſtimo, & longe digniores, quam ut inter ſomnia & fabellas rejiciantur. Habent earum nonnullæ hoc commune cum Græcis & Romanis Germanorumque hiſtoriis, & quibusvis antiquis, ut ſine fabulis non ſint, τερατολογοῦντες nonnunquam. Sed ſi comparantur inter ſe Græcæ Romanæ aliæ, cum Sagis; præferam ego Sagas, quod & ſimplicitatis innocentiſſimæ ſint, & falſa facile ſe prodant, tùm & quod veritatis plus habeant. Diſtinguendæ quoque veniunt Sagæ, poſtquam Chriſtiani illas ſcriptis comprehenderunt. Primæ enim eâ curâ ſunt contextæ à probatiſſimæ pietatis hominibus, in quibus vix aliquid ἀκριβείας hiſtoricæ deſiderare queas; ſunt enim ſcripta illa examinatiſſima, ac ſi ad Polybii limam, quando, qualis eſſe debeat Hiſtoria & hiſtoricus, præſcribit, exacta eſſent; qualia ſunt (ne me mentiri aut in gratiam Septentrionalium ſcribere credatis) Aræ, Sacerdotis Islandici, ſcripta, Chronicon Norwegicum, vulgo Snorroni Sturlæo adſcriptum,* Land= duama *Saga ſeu origines Islandiæ, & multæ aliæ Sagæ, quarum fidem nemo in dubium vocare poſſit, quod fabuloſa maximè caverint &*

 ejece-

ejecerint, nucleum ipſum Hiſtoriarum promentes.

§. V. Videbimus jam ipſos Islandorum Scriptores; horum præcipuos celeberrimus Torffæus recenſet, de quorum nempe ætate & nominibus evidenter conſtat; Anonymorum ingenti cohorte omiſſa, quod, licet veras hiſtorias ſcripſerint, argumenta deficiant, certis ætatibus eos applicandi. Hujus auctoris ſcripta cum extra Septentrionem in non adeò multorum manibus ſint; ex ipſis potiſſimum aliisque, quæ ad Islandorum monumenta ſpectant, in exterorum gratiam deſcribemus.

§. VI. Quamprimum igitur Olaus Tryggwinus regno Norvvegiæ A. 996. recuperato Chriſtianam fidem intulerat, de vicinarum quoque inſularum converſione fuit ſollicitus. Ad quam cum Islandos demum per Gyſſerum album quendam & Hialtam, Islandiæ Meridionalis cives circa A. C. 1000. permoviſſet; hic idem Gyſſerus popularibus ſuis non tantum fidei Chriſtianæ auctor ſed & exemplum extiturus, filium ſuum *Isleifum* ſtudiorum gratia Erfordiam ablegavit, effecitque ut is in patriam reverſus, Epiſcopatus munere dignus cenſeretur. *Isleifus* igitur primus hujus dignitatis Candidatus, Romam inviſit A. 1056. perſcriptoque mandato Pontificis ad Bremenſem Archi-Epiſcopum, ab eodem in feriis Pentecoſtæ ordinatur. Salutavit autem in itinere *Henricum*, Imperatorem, &

Con-

Conradum filiúm, in quorum gratiam donato Urſo Gronlandico ſe inſinuavit. Reverſus in patriam A. C. 1057. Cathedram Epiſcopalem in prædio ſuo urbano & avitó Scalholtia in Islandia meridionali ſita, fundavit. Cathedræ etiam Scholam aliqualem adjunctam habuit, ex qua *Jonas Ogmundus*, primus poſtea Holenſis in Islandia itidem Epiſcopus, & *Colerus Vicenſis*, in Norwegia Epiſcopus, exierunt. Uxorem duxit Dallam, Thorwaldi de Halſe filiam, ex qua filios tres reliquit, & *Gyſſerum* quidem avo homonymum, in Epiſcopatu ſucceſſorem, maximis corporis animique dotibus præditum, qui Erfordiæ quoque bonis literis operam navavit, & plurimas alias terras vidit & urbes. De hoc *Gyſſero*, Haraldi crudelis, Regis Norwegiæ, judicium fuit, ad tria eum ſatis aptum fuisſe, ut vel Regem ſeu terræ præfectum ageret, vel belli Ducem vel Eccleſiarum Antiſtitem. Vide tractatum de Islandia in tractatibus variis de Regno Dan. & Norweg. pag. 488. 491. ſqq. Hic idem *Isleifus* Annalium Islandicorum & Hiſtoriæ Norwegicæ concinnator ab Arngrimo Jona in ſpecimine Islandiæ pag. 79. perhibetur; & à *Biörno de Skardza* refertur, ipſum & filium Gyſſerum Hiſtorias contexuiſſe, quædam etiam per alios contexi vel ex aliis lingvis in ſuam vernaculam converti curaſſe, citante Torfæo Serie Dynaſt. & Regg. p. 39. Si vero Petrum Claudii audimus in deſcript. Norvveg. pag. 167. ſcripſit Isleifus vitam Haral-

di Pulchricomi, omniumque ipſius filiorum & ſucceſſorum, usque ad Magnum Bonum, S. Olai filium A. C. 1047. mortuum, ſeduloqve idem annotavit & ſuo Chronico inſeruit eorum nomina, qvi Pulchricomi tempore è Norvvegia in Islandiam migrarunt, quorum familias, loca ab iis occupata & inhabitata, qualiter ſinus, amnes, freta, ſcopuli, promontoria, montes, colles, valles, planities, prata, villæ &c. nomina ab iis ſortita ſunt, qui primi ea occuparunt aut quæ in iis locis acciderunt. Mortuus hic Isleifus A. C. 1080. Cum vero alii Aram Sacerdotem, ſive Arium Polyhiſtorem, primum Hiſtoriæ Scriptorem in Islandia habeant, celeberrimus Torfæus hos ita conciliat, exiſtimans Arium ex Isleifii collectaneis acceptis forte à filio ejus Teito, in cujus nutricatu adoleſcentiam partemque juventutis exegit, multa hauſiſſe qvæ poſtea memoriæ conſecravit. Vid. Torfæum l. c. pag. 40.

§. VII. Deinde *Sæmundus Hinfrode* i. e. Polyhiſtor & ſapiens, Vir raræ reconditæque doctrinæ & magnæ experientiæ, ſcripta haud pauca reliqvit. Natus fuit is A. C. 1056. Ex Inſtitutione Scholaſtica, qua in patria excultus eſt, vigeſimo ætatis anno 1076. dimiſſus; turbulentiſſimis inde temporibus in variis Germaniæ locis, ſtudiis operatus eſt, cum videlicet inter Imperatorem Henricum IV. & Romanum Pontificem Gregorium VII. de principatu certamen exortum, univerſum Imperii ſtatum convelleret. In Gallias deinde ſtudiorum cau-

ſa

ſa profectus, inde in patriam circa A. 1083. rediit. Biörnus de Skardza annales eum conſcripſiſſe perhibet, à prædio ejus Odda, quod ſibi ſedem Paſtoralem ipſe Presbyter elegit, Oddenſes appellatos, quos poſteri ejus eorumque diſcipuli poſtea continuaverint; teſtimonia ex iis tanquam authentica aliqvoties etiam Biörnus allegat. *Edda* ipſi attribuitur, quævarias continet Odas diverſis temporibus à diverſis ſcriptas auctoribus, quæ à Sæmundo in unum corpus congeſtæ, divinas continent Mythologias. Sed hæc antiquior fabuloſis narrationibus multò inſtructior fuit illa, qvam hodieque habemus, uti cum *Magno Olai*, apud Stephanium in Saxonem pag. 16. ſentit Bartholinus libro ſæpius citato pag. 193. De hac & aliis Sæmundi ſcriptis *Brynolfus Suenonius*, Epiſcopus Scalholtenſis Islandiæ doctisſimus, in Epiſtola ad Stephanium, in notis ejusdem ad Saxonem pag. 17. excerpta, ſcribit: Ubi ingentes theſauri totius humanæ ſapientiæ conſcriptæ à Sæmundo ſapiente? & imprimis nobiliſſima illa *Edda*, cujus vix milleſimam partem reliquam nunc præter nomen habemus? atque id ipſum quod habemus omnino fuiſſet deperditum, niſi Snorronis Sturlæi Epitome umbram potius & veſtigia, quam verum corpus Eddæ illius antiquæ reliqua feciſſet. Filium Sæmundus habuit *Loptum, Ionemque* ex hoc Nepotem, A. C. 1197. mortuum, cui auctor Anonymus carmen Panegyricum inſcripſit, ad Calcem Hiſtoriæ Or-

cadenſium in Codice Flæteyenſi conſervatum; quo majores ipſius, qui ſceptra Norvvegiæ tenuerant, ab ipſo Haraldo Pulchricomo repetit. Obiit Sæmundus A. 1113. Vide *Torfæum* l. c. pag. 40. ſeqq.

§. VIII. Tertius jam in ordine ſuccedit *ARIUS* vel *ARA FRODE* i. e. Polyhiſtor & ſapiens, qui de Regibus Norvvegorum Danorum & Anglorum ſcripſit. Secundum Biörnum de Skardza is primus Annalium Flæteyenſium fundator fuit, uti Sæmundus Oddenſium. Supereſt ab hoc auctore *Islendinga bock* i. e. Liber de Islandia, cura *Theodori Thorlacii* Epiſcopi Scalholtenſis editus 1688. quem circa A. 1122. incepiſſe videtur Epiſcopis Islandiæ Schalholtenſi & Holenſi inſcriptum, ſed eundem poſt ipſorum & Sæmundi Polyhiſtoris cenſura, prouti nunc eſt, emendavit & auxit A. 1134. Extat & ejusdem *Kriſtindoms Saga* i. e. Chriſtianismi in Islandia hiſtoria, impreſſa Schalholt: 1688. 4to. Agit in his libris de Islandiæ inhabitatione, legumque conſtitutione, de Nomophylacibus, quamdiu quisque Judicis officio functus fuerat, tempusque religionis Chriſtianæ, in Islandiam invectæ, cum annorum Chriſti nati numero primum contulit, quem quoque deinde ad ſuos usque dies appoſuit, multasque alias majoris momenti res in Islandia & Norvvegia geſtas, ſimul conſcripſit. Vid. Bartholinus l. c. pag. 196. Eidem Ario *Wormius* in præfat. ad Snorronis Sturlæi Chronicon tribuit librum Regum Norvvegiæ

vetu-

vetuſtiſſimorum Romumga Saga dictum, de quo pluribus ſuo agetur loco. Natus fuit hic Arius Sacerdos & Polyhiſtor, Thorgilſi filius, A. 1068. ad Hallum Thorarini filium, Virum valdè ſapientem & memoriæ felicis (qui cum Olao S. vixerat, cujus potentia hinc illi nota fuit) ſeptennis venit, ibique XV. annos transegit; ubi ſimul *Teitus*, Isleiſi filius, enutriebatur; ab hoc Arius Sacerdos eruditus eſt, multasque hiſtorias didicit, quas poſtea literis mandavit; Regum etiam Norvvegiæ vitas ſcripſit ex relatione Oddi, quas ille didicerat ex *Torgero* quodam, Viro ſapiente & valdè Seni; didicit & multas hiſtorias ex *Thurida*, *Snorronis Godi* filia, quæ ſapiens erat. Vide Bartholinum l. c. p. 199. Deceſſit Arius 1148. ſecundum Torfæum l. c. p. 43. adde Olai Wormi præfationem ſupra memoratam l. c.

§. IX. *KOLSKEGGIUS* Polyhiſtor, Ario σύγχρονος, poſt Arium librum Originum Islandiæ compoſuit, & occupationes, per quadrantes, Orientalem & Auſtralem, veluti Arius per Occidentalem & Septentrionalem, Inſulæ quartas conſignavit referente Torfæo pag. 44.

§. X. *ERICUS* poſthac Oddi filius ſcripſit (1.) geſta filiorum Haraldi Gillii usque ad ſingulorum exceſſum, (2) Vitas & geſta Magni Coeci, & Sigurdi Slembi Diaconi, ex relatione Halli, Islandi, qui Regis Ingii ſatelles purpuratus ſupplicio dicti Sigurdi A. 1139. adſtitit. (3). Ryggiar Stycki i.e. Dorſi particu-

ticulam, ſ. Hiſtoriam ita appellatam compoſitam poſt A. 1161. mortemque Ingii. Torfæus l. c. p. 44.

§. XI. *KARL* ſeu Carolus, Abbas Monaſterii Thyngeyrenſis in Septentrionali Islandia A. 1169. ordinatus, denatus vero 1213. vitam Suerreris, Regis Norvvegiæ enucleatiſſimè ſcripſit, qvam Torfæus latine tranſtulit, uti teſtatur l. c. p. 45.

§. XII. *ODDUS MONACHUS* & Presbyter; Polyhiſtor quoque ab eruditione cognominatus, vixit ſeculo XII. ſcripſitque Olafs Saga Tryggwaſonar i. e. Vitam Olai Tryggvvi filii impreſſam Scalholtiæ 1689. 4to. Quæ haudquaquam ineptè compoſita eſt, docet videlicet ea, quæ alibi non exſtant; Ejus verſionem Suedicam adornavit *Jonas Rugmannus*, Islandus, Vid. Schefferus in Svecia Literata p. 197. & 603. Habetur quoque idem Oddus auctor alius monumenti, de Inguare qvodam multivago, cujus fragmentum MStum in Bibliotheca Regia Hafn. ſervatur licet nullius pretii, citat tamen veterem librum latine ſcriptum, ſub titulo: *Geſta Saxonum* ut refert Torfæus l. c.

§. XIII. *SNORRO STURLÆUS* ab initio ſeculi XIII. usque ad A. 1241. quo occiſus eſt, prudentia & doctrina inſigni celebris fuit tam in patria ſua Islandia, quam Islandorum veteri patria Norvvegia. De eo confer Hypomnemata *Molleri ad Barthol* pag. 404. ſeqq. & Spicileg. pag. 45. ſqq. Chronicon hujus

hujus auctoris, quo Regum Norvvegicorum Genealogias ab Odino, vitasque à primo Rege usque ad Sverrerem tradidit, notiſſimum eſt, qvod inferius, de Hiſtoricis Norvvegiæ acturi, fuſius paulò recenſebimus. Torfæus bina ejus authentica exemplaria in membrana ſcripta habuit, quorum alterum Kringla/ alterum Jofraßkinna ab ipſo appellatur. Ad Snorrium quoque auctorem refert, Morkinskinnam & Horkinskinnam (binos Codices membranaceos ab involucro ita nominatos) qui non ſunt aliud, quam pars operis Snorrini ab initio Magni Boni, usque ad ſinem, variis acceſſionibus hiſtoricis à recentiore quodam aucta vel interpolata. De hujus Chronici verſione Svedica Gudmundi Olai adjunctaque latina Joh. Peringskioldi vid. Mollerus Spicileg. ad Bartholin. pag. 45. Ab eodem Snorrio quoque *Edda Islandica* recentior ex antiqviori Sæmundi, qvam ſupra memoravimus, congeſta eſt, de qua vid. Mollerus in Hypomn. pag. 405. ſeqq. & Bartholin: Antiq. Dan. p. 193. EDDA autem hæc à Petro Ioh. Reſenio, Juris ac Ethices Profeſſore & Præſide Hafnienſi cum verſione latina Danica & notis Hafn. 1665. 4to edita eſt. Complectitur autem Edda hæc (id quod in gratiam Lectoris monet Stephanius ad Saxonem pag. 17.) Mythologiam Poeticam Islandorum veterum 78. fabulis complexam, veluti nempe adjuncta ei Scalda metricam docet, ſive rationem metrorum variaque carminum genera. De Edda omnino videatur

Ro-

Robertus Sheringham de Anglorum gentis origine cap. XII. pag. 265. *Stephanum Ioh. Stephanium* Eddæ Sturlæanæ editionem molitum fuiſſe ex eo conjicit Cl. Mollerus, quod Codicem ejus reliqverit MStum, Islandicè, Danicè & Latinè manu propria nitidiſſime exaratum, qvem ſe in editione ſua præcipuè ſecutum eſſe teſtatur Petrus Joh. Reſenius in præfat. ad Eddam. Vide Molleri Hypomn. ad Barthol. pag. 411. Eddam hanc Reſenii editione multo auctiorem in famoſiſſima Bibliotheca Gvelpherbytana extare docent Acta Erud. Lipſ. An. 1697. menſe Januar. pag. 32. Clariſſimus *Schefferus* in Svecia Literata p. 306. ejusdem Snorronis *Hliods grein* ſ. artem Poeticam veterum Scaldorum memorat, refertque eam verſione latina & brevi indice illuſtratam à *Jona Rugmanno*, Collegii Antiquitatum Upſalienſium Adjuncto, ſed nondum editam eſſe. Quæ an à Scalda Eddæ ſubjuncta, diverſa ſit, nobis cum Cl. *Mollero* in Hypomn. p. 408. hucusque ignotum eſt.

§. XIV. *STYRMER* Polyhiſtor qvoqve dictus librum Originum Islandiæ ſimiliter conſcripſit, obiit hic 1245. Huic addimus *STURLAM* Snorrii Sturlæi ex fratre Sighvato nepotem, qvi qvanqvam ipſe nihil ſcripſerit, magna tamen induſtria hiſtorias à Snorrio conſcriptas deſcribi curavit; totam Islandiam ſibi ſubjecturus acerrimo prælio unà cum Patre 1238. occiſus eſt, referente Torfæo l. c. p. 47. Diverſus ab hoc eſt *STURLA LEGIFER*, filius

filius Thordi, qvi frater etiam Snorrii erat, Vir inſignis, auctor *Sturlungorum Hiſtoriæ*, qva res ſuis & ſuperioribus paulò temporibus in Islandia geſtas verè & luculenter deſcripſit, Haconis porro ſenioris, Regis Norrvvegiæ vitam, enucleatiſſimè in literas retulit, ut Regis Mani, Haconis filii, vitam ab eo conſcriptam, ſed hodie deſideratam h. l. taceamus. Delectus enim erat ab ipſo Rege, ut res ab eo geſtas literis mandaret. Denique *librum Originum Islandiæ* ſcripſit, de qvo & aliis ejus ſcriptis fatendum eſt, eum ſamma fide cuncta retuliſſe, magnam enim partem eorum, quæ ſcripſit, ipſe vidit, rebusque deſcriptis ipſe interfuit, imò ſcribendi materiam ipſi & Carolo Thyngeirenſi ſuppeditarunt Norvvegi iſti, qui regibus familiares fuerunt, quorum geſta illi enarrarunt, aut res geſtas ab iis geri alias conſpexerunt. Vid. Torfæum l. c. p. 49. Abdicato ſponte tandem officio, hic Sturla, prope ſeptuagenarius pia placidaque morte in patria, domi ſuæ deceſſit A. 1284.

§. XV. Denique *Haucus*, Erlendi filius, Legifer Islandiæ ex Styrmeris & Sturlæ originum Patriarum libris tertium confecit locupletiſſimum, quem Torfæus librum conſummatiſſimum in præfatione Vindlandiæ Antiquæ appellat. Eſt is proculdubio idem, qui impreſſus Scalholtiæ 1688. 4to hoc inſignitur titulo: Saga Landnama om fyrſtu byggjing Iſlands af Normannum de quo inferius dicendi erit locus. Cæterum hic auctor Hoſpitalem

domum

domum pro Egenis ex Ordine Eccleſiaſtico una cum Epiſcopo Arnio in patria inſtituit A. 1308. deceſſit autem 1334. Torf. p. 47. Scripta ea hiſtorica, quæ *Bergo* Abbati Threraenſi A. 1325. electo attribuuntur in Regis Sueciæ Archivo extantia, ea ex amici cujusdam literis Holmia ſcriptis huc refert Torfæus l. c. p. 48. *Stiornu Oddi* vero i. e. Oddi Aſtronomi prolixum ſed fabuloſum ſomnium Torfæus ſe poſſidere teſtatur l. c.

§. XVI. Extant præterea hiſtoriæ *Eyrbyggiorum*, *Floanorum*, *Holmenſium*, *Isfiordenſium*, *Laxdalenſium*, *Lioſvatnenſium*, *Suarfdalenſium & Vatzdalenſium*, innumeræque ejusdem generis aliæ, quæ quidem certæ fidei, incertæ tamen ætatis ſunt, & ab incertis auctoribus conſcriptæ. Vetuſta hæc Iſlandorum monumenta magnam partem ab interitu vindicarunt, duo Iſlandiæ hoc ſeculo Antiſtites, Scalholtenſis *Bryniolfus Suenonius*, *& Thorlacus Sculonius*, Holenſis; qui conquiſitas undequaque ſummo ſtudio & ingentibus ſumtibus membranas deſcribi curarunt, conductis in eam rem, qui nitide pingerent, librariis, teſte Torfæo l. c. qui merita eorum celebrat. Ex Iſlandia Hafniam pars eorum perlata eſt ante 50. circiter annos, auſpiciis literatiſſimi Regis Friderici III. qui ea MSSa Bibliothecæ Regiæ, ceu magnum ornamentum, intulit, ex qua poſtea Hiſtoriographo Regio Torfæo, quibus ad conſcribendam Hiſtoriam Norvvegiæ uteretur, communicata ſunt. Catalogum horum monumentorum exhi-

exhibet ſed valde imperfectum Stephanius ad Saxonem p. 16. pleniorem Bartholinus ad calcem Antiqq. Dan. pleniſſimum vero 186. Codicibus conſtantem ordineque Alphabetico diſpoſitum communicavit celeberr. Torfæus in ſerie Dynaſt. & Regum Dan. lib. 1. cap, I. p. 3. - 10. ex quo eundem nuper in Hiſtoria ſtudii Etymologici linguæ germanicæ hactenus impenſi repetit Clmus Joh. Georg. Eccardus, Hiſtoriarum in Acad. Julia Profeſſor p. 179. - 191. qui tamen Gunaris Keldugnupenſis fatui vitam & Kriſtendoms Saga titulum latinum omiſit, ejusque loco ſequentis apud Torfæum Kirialax Saga itidem omiſſæ titulum latinum repoſuit, conferatur Torfæus p. 11. l. c. ubi & deperdita enumeravit.

§. XVII. Non tamen omnia Islandorum ſcripta eodem loco & pretio habet Torfæus, ſed quatuor illorum claſſes conſtituit, quarum

Ima eſt *Mythologicorum* ex quibus priſci ritus & religio cognoſcuntur, & ſi nulla hiſtoriæ ſeries, quædam tamen vera deprehenduntur. Huc referenda

1) Edda Islandorum, de quo ſupra

2) Wilhelmi Sodi i. e. Theſauri filii Vita, quæ captivitatem Richardi I. Angliæ Regis, in aula Cæſaris Henrici, ære redimendam Mythologicè proponit

3) Hava-Mal ſive ſententiæ morales & Gnomæ Odini, quas latine vertit & notas Philologicas addidit *Jonas Rugmannus* teſte Scheffero

fero l. c. p. 306. Vide & Bartholini Antiqq. Dan. p. 193.

IIda eſt fabularum ad-exhilarandos auditores tempusque fallendum inventarum, quæ vel artificioſæ ſunt, ut

1) Bardar Saga Snæfellr aſſ. i. e. Bardi Nivei Montis Deaſtri vita, de qua Torfæus p. 22. - 25. & in præfat. Gronlandiæ p. 21.
2) Kroka refs Saga i. e. Refli Aſtuti vita Torf. p. 25 - 28. quam Magnus Olavi, Paſtor Laufaſienſis in Islandia illuſtravit in Lexico Runico à Clmo Wormio edito.
3) Bua Saga i. e. Buii vita ſeu Kia lernesenſium hiſtoria Torf. p. 12. & alia

vel ſunt rudes & inſulſæ ſine arte & ſenſu, ut

1) Jonis limatoris vita Torf. p. 29.
2) Sveins rimur Muks ſonar i. e. de Sueino Monachi filio carmina id. p. 12. - 29.
3) Magus Jarls Saga i. e. Magi Comitis vita id. p. 12.
4) Sigrgardr Saga frækna i. e. Sigurgardi Vegeti vita id. p. 12.
5) Nikolaſs Saga leikara i. e. Nicolai luſoris vita id p. 12.
6) Pontus rimur i. e. de Ponto Carmina id p. 12.
7) Halfdana Saga Bronufoſtra i. e. Halfdani Branæ alumni vita
8) Haraílds Saga Hringsbana i. e. Haraldi Ringicidæ vita
9) Konrads Saga Keyſara ſonar i. e. Conradi Cæſaris filii vita id p. 29.

10)

10) Brandkroſſa thattr i. e. de Brandkroſſo bove narratio id p. 29.
11) Amloda Saga i. e. Amlodi vel Amlethi vita id p. 29.
12) Eiriks ſaga Vidforla i. e. Erici Peregrinatoris Vita, & fere infinita alia.

Illtia eſt *fabuloſorum*, i. e. Hiſtoriarum ex veris principiis deductarum, ſed figmentis interpolatarum, vel ita ut verum à falſo ægre diſcerni queat; quales ſunt

1) Thorſteins Saga Vikings ſonar i. e. Thorſteinii Vikingi vita, à Reenhelmio in Suecia cum Commentariis edita vide Torfæ- p. 30. - 34.
2) Orvvarods Saga i. e. Oddi Jaculatoris Vita id. p. 34.
3) Ragnars Saga Lodbrokar i. e. Ragnaris Lodbrochis vita id p. 35.
4) Gotrici & Rolfi Weſtro Gothiæ Regum hiſtoria, cum verſione Suecica & notis latinis ab Olao Verelio, Profeſſore linguæ veteris Gothicæ, & Quæſtore Academiæ Upſalienſis A. 1664. Upſaliæ 8o. edita. Scheffer in Suecia Liter. p. 197.
5) Boſa oc Herrauds Saga i. e. Boſi & Heraudi vita, cum interpretatione Suedica & notis Olai Verelii Upſal. 1666. 8. edita Vid. Torf. p. 22. & 30. Scheffer l. c. p. 197

vel ita ut ſine magno negotio verum à falſo diſcerni poſſit, ex quorum numero admodum pauci excludendi ſunt, neque

ipſe Snorro Sturlæus, ſpeciatim vero huc veniunt.

1) Hrolfs Kraka Saga i. e. HRolfi Kraki hiſtoria a M. Gualtero ſcripta & edita à Torfæo latine Hafn. 1706. 8o. De qua infra videbimus

2) Olafs Saga Tryggwaſonar i. e. Olai Tryggwæ filii hiſtoria

3) Olafs Saga Helga i. e. Olai S. Vita, quæ ambæ in Codice Flateyenſi continentur Torf. p. 45.

IVta claſſis eſt *Authenticarum* Islandiæ Hiſtoriarum, quæ vel res diu ante geſtas commemorant, vel auctori ſuo æquales complectuntur; quales ſunt ſcripta illorum, quorum nomina & vitas ſuperius ab Isleiffo usque ad Stiornu Oddum enarravimus.

§. XVIII. Scripta ſua Islandi variis inſigniunt titulis, alia ipſis audiunt *Saga* & *Sogur* i. e. Vita vel hiſtoria, alia *Annall* vel *Annalar* i. e. Annales, alia *Rima* vel *Rimur* i. e. carmen ſeu Carmina, alia *Thattr* i. e. Facta ſeu res geſtæ, Draumr i. e. ſomnium, *Bok* i. e. liber, *Spaa* i. e. Vaticinium ut Volufspaa, *Edda* i. e. Mythologia, alia denique aliis titulis veniunt, ut ſpeciatim Landnama/liber Originum Islandiæ, langfedgatal i. e. ſeries Principum Septentrionis, vel *Hungriaka* i. e. Chronicon Epiſcoporum Islandiæ.

§. XIX. Codicis Flateyenſis quoniam ſæpius meminimus, reſtat ut de eo pauca h. l. monea-

moneamus. Eſt is Codex membranaceus Bibliothecæ Regiæ qui ab Occidentalis Islandiæ Inſula, Flatey dicta, ubi aliquando conſervatus eſt, vel verius delituit, Flateyenſis vulgo nominatur. Hujus conſarcinatori unicè propoſitum fuiſſe videtur Celeberr. Torfæo, ut, quicquid antiquarum relationum inveniret, ſine ullo delectu in vaſtum illud Volumen congereret, atque ab interitu vindicaret, ſecuro quid tandem pretii ſingulis ſtatuendum esſet. Continet præter alia

1) Olafi Tryggwini & Olai S. vitas
2) Origines Norwegicas
3) Conflictum Stiklaſtadenſem, (Vid. Torf. Gronland. antiqu. p. 151)
4) Deſcriptionem Vinlandiæ in capite VIII. vitæ Olai Tryggwini obviam (vid. Torfæi præfat. Vinland. lit. b)
5) Carmen in Ionem Lopti filium Samundi Nepotem & denique
6) Hiſtoriam Orcadenſium, quæ Torfæo diverſis locis citatur.

§. XX. Quanquam vero plerique veterum, uti ſupra ex Theodorici, Saxonis & aliorum teſtimoniis vidimus: recentiorumque doctiſſimi, *Arngrimus Jonas*, *Stephanius*, *Wormius*, *Bartholinus*, *Verelius* atque alii plurimum hiſce Islandorum monumentis tribuerunt, iisdem quoque diligenter uſi ſunt, nemo tamen perfectius quicquam ex iis propoſuit, quam *Thormodus TORFÆUS*, Islandus, rerum Norwegicarum Hiſtoriographus Regius. Senex hic

jam ætate & eruditione venerabilis eſt, quem cum literatiſſimus Regum Fridericus III. transferendis in Danicam linguam ſcriptis Islandicis, ut interpretem Regium adhiberet, is hac occaſione & Regi & Proceribus Regni innoteſcere ſimulque rerum ex monumentis patriis Septentrionalium peritior evadere cœpit. Præcipue cum Rex illum 1662. ad Bryniolfum Suenonium, Epiſcopum Schalholtenſem ad ſua usque tempora omnis ætatis doctiſſimum, (teſtimonio ipſius Torfæi) ad addiſcendam vocum difficiliorum phraſiumque antiquarum genuinam ſignificationem cum Regiis literis mitteret. Vide addenda Vinlandiæ antiquæ. Quum ille aliquando cum Procerum uno, qui ipſum paulo familiarius admittere ſolebat, de vetuſtis hisce rebus forte colloquens, diceret, ſatis valide ex Islandorum monumentis probari poſſe, primum Danorum principem non Danum ſed Skioldum fuiſſe, is hæc verba ad Regem (qui ſubceſivis horis poſt abſoluta regni negotia de literariis rebus loqui ſæpe gaudebat) retulit. Quam ſententiam cum Suenonis Aggonis teſtimonio veriſimiliorem reddidiſſet, juſſus a REGE controverſorum Daniæ Principum Regumque ordinem ex prædictis monumentis collectum latino ſermone deſcribere. Quorum licet pauca nimis eaque nimis diſperſa ad manus haberet, nec ſcriptis illis digniſſimis, quæ lucem videant publicam, in Regiis Archivis reſervatis, uſus eſſet, quædam etiam ante 15 tum annos

annos ſemel tantum in tota vita ex aliorum perfunctoria recitatione audita in ſubſidium advocaret; ex iis tamen, quæ habebat, quæque memoria ſuggerebat, dictorum Regum ſeriem digeſſit, ſingula ad hanc materiam pertinentia, quanta in tanta documentorum penuria juvenilis ingenii vires ſuppetebant, in librum conferens. Oblatum hunc humillimè Rex perbenigne accepit, ſibique non diſplicuiſſe variis gratiæ Regalis notis poſtea oſtendit. MSus hicce liber hodieque in inſtructiſſima Bibliotheca Regia locum habet, ab eruditis quoque variis deſcriptus imò & Danicè ejusdem pars verſa fuit. Poſtea auctor plura patriæ monumenta adeptus, judicio maturiore nonnullos errores in ſuo exemplari emendare cœpit. Cum vero a Rege Glorioſiſſimæ memoriæ Divo Chriſtiano V. circa A. 1682. Hiſtoriæ Norwegicæ conſcribendæ munus ipſi demandaretur, patriæ Codices antiquos, quotquot haberi poterant, ſtudioſiſſime conquiſivit, ſeduloque perlegit. In his præter ea, quæ ad Norwegiæ hiſtoriam pertinent, varia ſimul occurrebant prædictæ Regum Daniæ ſeriei ulterius emendandæ, plura adhuc eidem locupletandæ inſervientia, quæ ſuis locis annotavit, minus commodè dicta emendavit, ſupplementa innumeris locis inſeruit, duosque anteriores libros & binas in calce appendices de novo addidit. Viciſſim nonnullis locis ea inde reſecuit ac expunxit, quæ ſuperflua alioque pertinentia videbantur.

Hinc quæ in Magno Bono, ejusque in Daniæ regno ſucceſſore Sueno Eſtridio ante finiebatur, nunc in Gormo Grandævo deſinit Regum ſeries, quæ ſub hoc titulo edita eſt: *Series Dynaſtarum & Regum Daniæ à primo eorum Skioldo, Odini filio ad Gormum Grandævum, Haraldi Cærulidentis Patrem, antea A. C. 1664. juſſu Glorioſiſſ. memoriæ Regis Friderici III. ſecundum monumentorum Iſlandicorum harmoniam deducta & concinnata, nunc recognita multum aucta & auſpiciis auguſtiſſimi illius Nepotis Regis Friderici IV. in publicam lucem emiſſa per Thormodum Torfæum Hiſtoriographum Regium Hafn.* 1702. 4to poſtea vero ſequenti exornata frontiſpicio: *Univerſi Septentrionis Antiquitates, ſeriem Dynaſtarum & Regum Daniæ &c. exhibentes Hafn.* 1705. 4to, ſed præter titulum nihil novi acceſſit & recuſum eſt, ille vero etiam contra mentem autoris præfixus eſt, uti ipſe monet ad calcem Gronlandiæ ſuæ antiquæ, ubi & Analecta ad hanc ſeriem & Indicem locupletiſſimum jam paratum promittit quorum tamen neutrum huc usque comparuit. Fuſiorem ſeriei hujus recenſum exhibent Clariſſimi Actorum Lipſienſium collectores A. 1702. p. 273. ſqq. quorſum in præſenti curioſum Lectorem ablegamus, addantur etiam Nova Literaria Maris Balthici A. 1702. p. 174. ſq. qui ſpecialia cujuslibet libri, ut & Appendicum capita ὡς ἐν συνόψει exhibent. Editum ab eodem Torfæo poſtea eſt: *Trifolium Hiſtoricum, ſeu diſſertatio Hiſtorico-Chronologico-Critica de tribus potentiſſimis Daniæ*

Daniæ Regibus, Gormo Grandævo, Haraldo Cæruli-dente, Sueno furcatæ barbæ, ubi tempus quoque propagatæ in Dania Chriſtianæ religionis demonſtratur, Urbis Julini ſeu Winethæ origo & deſcriptio ſiſtitur &c. in ſupplementum ſeriei Regum Daniæ Hafn. 1707. 4to. pagg. 137. præter dedicationem, præfationem & Indices recenſetur in Actis Eruditor. Lipſ. A. 1708. menſe Junio p. 257. ſqq.

§. XXI. Cum vero noſtro ex officio incumberet Hiſtoriam Norwegicam concinnare, inſulas, hujus Regni provincias circumjacentes primò celebravit, & de Færevenſium rebus geſtis commentationem Hiſtoricam Hafn. 1695. 8o. edidit; Orcades ſive rerum Orcadenſium hiſtoriæ libros III. ibid. 1687. fol. evulgavit, Gronlandiam item antiquam ſeu veteris Gronlandiæ deſcriptionem 1706. 8vo compoſuit. Ipſum denique hiſtoriæ *rerum Norwegicarum* opus jam ſub prelo eſt, quod maximam rebus Septentrionalibus antiquis lucem afferet. Conſcripſit præterea *HRolfi Kraki Hiſtoriam* de qua ſuo loco agemus, uti & *Hiſtoriam Vinlandiæ antiquæ* ſeu partis Americæ Septentrionalis Hafn. 1705. 8vo editam, in qua demonſtrat antequam Chriſtophorus Genuenſis Columbus 1492. & Americus Veſputius, Florentinus 1497. aut Veneti fratres Nicolaus & Antonius Zeni 1380. imo & Madochus filius Guineth, Principis Walliæ frater, qui circa A. 1170. colonias in Canadam & Floridam eduxiſſe traditur, de America, novo hoc orbe quicquam ſciverint, Grönlandos, Islan-

diæ cives colonicos, ipſosque ex parte Islandos circa A. C, 1020. non modo detectæ, raptim etiam inſeſſæ, ſed & latè tandem celebratæ Vinlandiæ & per vicinam ei Albaniam ſeu magnam Irrlandiam decantatæ religionis Chriſtianæ decus & laudem immortalem ſibi peperiſſe. Vide præfat. Vinlandiæ antiquæ

§. XXII. Vivit doctiſſimus Senex noſter Stangelandiæ in diſtrictus Stafangrienſis Inſula Karmta, ubi Auguſtiſſimus Daniæ Monarcha, dum præcipuas Regni Norwegiæ partes luſtraret A. 1704. in tranſitu noctem ad eum divertere non dedignatus eſt, & villam, in qua degit noſter, requiei ſuæ delegit. Vid. præfat. Gronlandiæ p. 9. quo tempore etiam de antiqua Gronlandia inveſtiganda, commerciisque in freto Daviſio inſtituendis quæſtionem Illuſtriſſimus Fridericus Gabel, Conſiliarius intimus & Vice ProRex Norwegiæ auctori noſtro movit, eumque meliorem, hactenus uſitata, viam ad has terras monſtrare juſſit, quam ille peculiari Epiſtola, præfationi Gronlandiæ poſt inſerta, propoſuit.

In hac eadem diœceſi Stafangrienſi noſter quondam redituum Regiorum curator ſeu Camerarius conſtitutus fuit, ut ipſe teſtatur in ſerie Dynaſtarum pag. 36. Hafniam ſæpius & ultima, ni fallimur, vice Anno 1708. commigravit. Exactis tot ingenii monumentis ære perennioribus vivit jam in dicta villa octogenarius licet, ſatis tamen, ut accepimus, vegetus & bona utens valetudine, ut qui ante

binos

inos, & quod excurrit, annos ad ſecunda ota tranſiit.

CAPUT II.

De *SCRIPTORIBUS DANIÆ CHRONOLOGICIS.*

§. I.

ACcuratiorem Hiſtoriæ Danicæ antiquioris cognitionem perquam reddit difficilem, veterum Scriptorum in annotandis ſingulorum eventuum temporibus, negligentia, ſi negligentia ea dicenda eſt, & non potius temporum notationes defectu monumentorum neceſſariò omittendæ fuerunt.

§. II. Cimbrorum quidem, Gothorum, Anglo-Saxonum, Normannorumque expeditiones & migrationes ab externis deſcriptæ auctoribus, ſatis certæ ſunt ætatis, nec eorum tempora ignota aut dubia: ſed hæc ad rerum domeſticarum Chronologiam perparum faciunt.

§. III. Exinde *Adamus Bremenſis*, *Helmoldus* & qui præterea res Danicas notarunt exteri, partem tantum temporis & quidem medii ſolum ævi connotant. Domeſtici vero annales qui Saxonem Grammaticum ſequuntur, cum ipſo Saxone, præter Epocham nati Chriſti & Caroli M. vix ullam commemorant. Nec ex Synchroniſmis adeo multæ eruendæ ſunt.

Adeo

Adeo ut Regum Ethnicorum ætas vere ἄδηλ☉ Chriſtianorum vero demum certa æſtimari debeat, conſentiente Suaningio in Prolegom Chronol. Dan. p. 29. & fatente Illuſtri Huitfeldio, nihil certi de annorum numero fingi excogitarive poteſt, Ethnicorum ſcilicet, usque ad Caroli M. tempora; quanquam de ſequentibus & Chriſtianis Regibus aſſerit, ſe primum omnium Hiſtoriographorum Daniæ glaciem fregiſſe, & Chronologiam adornaſſe, referente Suaningio l. c. *Johannes Iſaacius Pontanus* & reliqui veſtigia Saxonis prementes, primos annos Hiſtoriæ Danicæ prætereunt.

§. IV. Illi tamen Scriptores, qui Gothlandicam hypotheſin amplectuntur, nulla re magis ſunt ſuſpecti, quam quod in Chronologia nimis accurati, a diluvii enim tempore, vix ullus annus præterit, quo non quæcunque geſta factaque ſunt, extantiora ſaltem accuratiſſime ordinant, de quibus, quid ſentiendum ſupra jam vidimus. Speciatim *Claudius Lyſchander* in opere Genealogico annos Regum Daniæ Ethnicorum a Saxone præteritos ſupplet; quin is Velleji aliorumque MSSos annales ut Hiſtoriographus Regius viderit & ſecutus ſit, non dubitat Suaningius l. c. Habet ejusdem judicio annos veritati reſpondentes, qui fidem merentur, donec error in iis admiſſus vel ex firmioribus rationibus vel ex certioribus annalibus mutationem calculi ſuadentibus, erutus fuerit ac demonſtratus. An-

tiqui-

quitatis teſtimonium ab eodem exigit; quod
ı Euſebio deſiderat Scaliger.

§. V. Islandicos Scriptores quod attinet,
ıonnullos illi ſynchroniſmos annotarunt, ex
ιuibus reliquorum Regum Septentrionis tem-
ıora conjectura ſatis probabili ordinat Clmus
Torfæus in ſerie Dynaſt. & Regg. libr. III. cap.
I. p. 221. ſqq. Initium Chronologiæ ſumit
ıb Anno ante C. N. 70. quo Othinus ex A-
ſia per Ruſſiam, in Saxoniam, Daniam, Sue-
ciam, Norvegiam migraverit, quam per 7.
Synchroniſmos ab Islandicis indicatos, conti-
ıuat usque ad ſexti circiter ſeculi finem, di-
geſtisque collateralium Dynaſtarum annis ab
Haraldo Hilditann annoque Chriſti 585. re-
ſumtam temporis rationem usque ad A. C.
985. deducit & cum Haraldo Cærulidente fi-
nit. Hanc Chronologiam omnibus nume-
ris abſolutam eſſe, nec ipſe credit Celeberri-
mus Autor, nec aliis vult perſuadere; cum
ipſi tantum propoſitum fuerit monſtrare, quo
circiter tempore hic vel ipſe vixerit, non ve-
ro cujusvis annos exacte definire, aut authen-
ticam conficere Chronologiam, quod docu-
mentorum defectu impoſſibile ſtatuit. Pro-
fitetur interim ſe, qua potuerat diligentia, ſcri-
ptorum teſtimonia, Genealogiarum & rerum
geſtarum circumſtantias ubique obſervaſſe, ut
dicere audeat, ſua hæcce veriſimiliora eſſe ali-
orum in hac eadem materia aſſertionibus.
Qui enim de vetuſtioribus Daniæ Regibus ha-
ctenus ſcripſerunt, aut eorum tempora digeſ-
ſerunt

ſerunt, tot nobis obtruſiſſe Reges, ut multi eorum, ne naſcendi quidem nedum regnandi ſpatium ſuppetere temporum ratio evincat. Vide totum caput citatum p. 226. - 243.

§. VI. Quæ in his omnibus deſiderari poſſunt lacunæ, eas ingenio & induſtria ſupplere conati ſunt 1) M. *Nicolaus Petri* ſeu *Petræjus* qui Chronologiam laborioſam ſcripſit, quam *Umbram Saxonis* vocavit, a primis regni incunabulis ad tempora Chriſtiani III. res majoris momenti breviſſime exhibentem, quæ MSa & nondum edita in Archivis Bibliothecæ Academiæ Hafnienſis aſſervatur, teſte Olao Wormio Literaturæ Runicæ cap. VII. p. 51. edit. prioris. 2) *Andreas Severini Vellejus*, incomparabilis ille Polyhiſtor, ſummo judicio & eadem forma, qua Suaningius (de quo mox) adornavit Chronologiam, res & tempora Danorum olim congeſſit, & ſuperiorum fidei MSam commiſit, ut ex relatione M. *Severini*, Andreæ filii, Eccleſiaſtis Ripenſis primarii, docet Suaningius in Prolegom. Chronolog. Dan. p. 29. Eandem Chronologiam Danicam tripartitam ab orbe condito, usque ad Chriſtianum IV. perductam P. I. Promi Condi *ἀνεκδότων* ſuorum MSorum appellat. 3) *Johannes Lyſchander*, Bramenſis Scanus Saxonem ad certos annos redactum *ἀνέκδοτον* reliquit vide Molleri Spicileg. Hypomn. p. 44. 4) *Ericus Olaus Tormius*, cujus index Chronologicus MSus memoratur Suaningio l. c. p. 28. Hujus tamen effigies Regum Daniæ cum

Chro-

Chronologia & compendioſa rerum geſtarum narratione 1640. 4to editæ huc referri merentur. 5) *Janus Laurentii Wolffius*, Bibliopola Hafnienſis, Diarium ſeu Calendarium Eccleſiaſticum, Politicum & Oeconomicum perpetuum Hafn. 1648. 4to edidit, poſtea 1662. recuſum. In cujus parte tertia binas exhibet Chronologias, primam Biblicam, ab origine mundi usque ad Chriſti & Apoſtolorum tempora, ſecundam ex doctorum virorum ſcriptis & documentis Saxonis, Huitfeldii, Wormii, Lyſchandri aliorumque excerptam, memorabilia in Septentrionalibus regionibus a diluvio usque ad Chriſtiani IV. mortem ſecundum temporum ſeriem complexam. Abſolutum hoc Calendarium jam 1639. obtulit Profeſſori Mathematum in Academia Hafnienſi M. *Chriſtiano Longomontano*, qui illud reviſum ipſi reddidit 1640. Auctor natus Anno 1584. ſcripſit hoc opus anno ætatis 64. de cujus reliquis ſcriptis ſuo loco videbimus. 6) *Stephanus Johannes Stephanius*, Chronologorum Scandianorum nov-antiquorum ſyſtema ἀνέκδοτον reliquit, uti ex Ornhialmi Hiſtoria Eccleſiarum Sueo-Gothicarum, penes quem hoc MSum delituit, allegat Clmus Mollerus in Hypomn. ſæpius laudatis p. 411. 7) Denique *Johannes Jani Suaningius*, Ripenſis, Eccleſiarum in Samo Balthica ſeu Danica Præpoſitus 1635. initiatus, ſcripſit *Chronologiam Danicam, qua 1) Noachidarum ſeries exhibetur 2) Judicum Cimbriæ & Gothiæ anni recenſentur & 3) Sereniſſimorum ac Poten-*

Potentiſſimorum Daniæ Regum tempora, a prima regni origine ad A. C. 1650. Dynaſtiis octo diriguntur, ac quorundam Equeſtris ac ſacri Ordinis, in antiquo Daniæ regno illuſtrium Virorum ætates nova & accurata Methodo deſcribuntur; res Politicæ & Eccleſiaſticæ breviter enumerantur; cum annis mundi conditi, Chriſti nati & ante Chriſtum natum, Imperatorum, Regum Longobardiæ, Galliæ, Angliæ, Sueciæ & Norwegiæ, Electorum Saxoniæ & Brandeburgicorum, Pontificum Romanorum, & Archi Epiſcoporum Bremeeſium ita conferuntur, ut hujus inſpectio Hiſtorias Danorum legentis memoriam ſimul & judicium adjuvet. Prodiit Hafn. 1650. fol. In præmiſſis Prolegomenis auctor docet α) occaſionem & ſcopum Chronologiæ hujus, ſe nempe Hiſtoriam Eccleſiaſticam Danorum ſcrutatum, ut explorate cognoſceret, tempus propagati Evangelii in regno Daniæ eique vicinis, animadvertiſſe autem res Eccleſiaſticas ſine Regum Daniæ hiſtoria ſolide ſe aſſequi non poſſe, ideoque annotaſſe Reges, religionis Chriſtianæ per Ansgarium plantatæ curſum aut promovere aut impedire ac remorari aggreſſos; quibus perceptis creviſſe deſiderium res Eccleſiaſticas Daniæ ad hæc usque tempora cognoſcendi, ut initium, incrementum & ſtatus Eccleſiæ Borealis integer eſſet familiarior; rebus Eccleſiaſticis expeditis ſcrutari ſe continuaſſe tempus Ethnicum &c. β) Chronologiæ materiam & argumentum, quatuordecim ſc. ſeries exhibet γ) triplex temporum intervallum & octo Regum Dynaſtias

ordi-

ordinat δ) familias Regias VIII. tabulis Genealogicis ſiſtit ε) Epochas Danorum illuſtriores enumerat numero 24 ζ) rerum Danicarum Scriptores, qui lucis aliquid huic operi attulerunt, recenſet & denique η) accedit Abacus, repræſentans Hieroglyphicarum notarum in inſignibus Regum Daniæ numerum, nomina, ſignificata, auctores, tempus originis & durationis. Sequitur deinde ipſa Chronologia paginis 108. comprehenſa, adjecto Indice. De hac Chronologia ita Clmus Mollerus judicat in Introduct. Part. I. p. 37. *Magna* inquiens, *diligentia eſt collecta, & ſatis accurata, imo fili in Antiquitatum Danicarum Labyrintho Ariadnei elogio non indigna.* Perperam ad Chronologos Daniæ referuntur Olai Wormii Faſti Danici a Clmo Struvio in Biblioth. Hiſt. pag. 725. quod in capite de Antiquariis Danicis fuſius probaturi ſumus.

CAPUT III.

De *SCRIPTORIBUS DANIÆ GENEALOGICIS.*

§. I.

PRiusquam Scriptores Daniæ Genealogicos ordine enumeremus, notandum eſt eos, qui ſeriem Regum Daniæ Genealogicè expoſuerunt, pariter ac Hiſtoricos Univerſales in certas ſeſe diſtinguere claſſes, ita ut alii ſecundum hypotheſin vulga-

rem, alii autem ſecundum Islandorum monumenta ſtemmata Regum deducant.

§. II. In Genealogia veterum Regum Daniæ ſecundum vulgarem hypotheſin concinnanda præcipuè deſudarunt 1) *Claudius Chriſtophori Lyſchander* qui Hafn. 1622. fol. edidit Danſke Kongers Slægtebog ſive opus Regum Daniæ Genealogicum, a Rege Dano I. ad noſtra hæc tempora. Magno labore nec minori induſtria congeſtum hoc opus eſſe ex Pontano affirmat *Joh. Suaningius* in Prolegomenis ad Chronol. Dan. p. 29. Cui addatur *Clmus Mollerus* in Hypomnem. ad Bartholin. de Script. Dan. p, 200. qui ob laborem & induſtriam commendandum quidem eum eſſe cenſet, verum in hiatibus ſeriei illorum, ac Hiſtoriæ Patriæ ſupplendis, annis rerum ævi priſci, etiam incertarum, definiendis, fabulisque annalium Gothlandicorum & aliorum Mythologorum Borealium, Lectori obtrudendis, juſto audaciorem illum eſſe ait, id quod fuſius oſtendit in Introduct. P. I. p. 44. & 45. Diverſa ab opere hoc Genealogico eſt *Johannis Lyſchandri* Genealogia omnium Regum Daniæ, a Dano I. ad Pridericum II. Daniæ Regem, eidem ab autore oblata & huc usque inedita. 2) *Philippus Cypræus*, Slesvicenſis, Genealogiam Regum Daniæ Chriſtianorum & antiquorum Ducum Slesvicenſium ex familia Danica oriundorum usque ad Margarethæ obitum, nec non cœterorum Regum & Ducum familiæ Oldenburgicæ ex probatis auctori-

auctoribus collectam vulgavit Hafn. 1622. IV. foliis patentibus. Brevis quibuslibet Regum nominibus in his tabellis adjicitur vitæ ac rerum geſtarum & Regis & Ducis cujusvis narratio, ut notat Mollerus Introd. P. I. cap. X. §. 2. 3) *Johannes Suaningius* in prolegomenis Chronologiæ Danicæ p. 14. - 18. octo tabellis includit omnium a Regno condito Daniæ Regum ſeriem. Omitto *Anonymi* Genealogiam & ſeriem Regum Daniæ ab H. Ernſtio Soræ 1646. 8vo editam, de qua jam ſupra; hæc enim potiori Jure ad Hiſtoricos quam Genealogicos referenda erit, licet titulo Genealogiæ inſigniatur. MSSa varia huc pertinentia poſſedit quoque *Johannes Bircherodius*, Epiſcopus quondam Aarhuſienſis, ceu ex Catalogo librorum ejus Hafniæ 1709. 8vo edito conjicere licebit, quæ tamen MSSa omnia hodie jure emtionis ad Clmum D. Fridericum Roſtgaardium pervenerunt, in ejusdemque Bibliotheca inſtructiſſima ſtudioſe aſſervantur.

§. III. Scriptorum Genealogicorum ſtemmata Regum Daniæ ſecundum Islandorum monumenta deducentium notitia prorſus intercidiſſet, niſi Celeberrimus *Torfæus* defectum hunc aliquatenus reſarcire ſtuduiſſet. Is autem in ſerie Dynaſtarum & Regum Daniæ libr. III. cap. I. p. 211. ſqq. exhibet vetuſtiſſimorum Daniæ Regum ſeriem, ex antiquiſſimo monumento Islandico *Langfedgatal* dicto, deſcriptam. Idem p. 213. binas ſiſtit Genea-

logias Daniæ Regum ex Originibus Norwegicis excerptas, quas continet Codex Regius antiquus vulgo Flateyenſis dictus. P. 215. ab eodem Torfæo additur tabula Genealogica vetuſtiſſimorum Daniæ Regum ad antiquiſſimi monumenti Islandici, Landfedgatal dicti, tenorem delineata, nec non adjectis ex aliis Islandorum monumentis, generalioribus nonnullis Genealogicis. Neque omittenda ſunt opuſcula Genealogica, ſecundum Islandorum hypotheſin formata, quæ MSSa cum aliis remotioris ævi monumentis a B. *Petro Roſenio* Bibliothecæ Academiæ Hafnienſi legata ſunt. Talia ſunt: 1) Series Regum Daniæ ab Odino usque ad Knutum M. Daniæ & Angliæ Regem 2) Series Regum Sueciæ ab Odino ad Haraldum Pulchri-Comium Norwegiæ Monarcham (exhibetur hæc a Torfæo l. c. p. 217. excerptaque primum eſt a Snorrone Sturlæo ex antiquiſſimo carmine, Ynglingtal dicto) His addenda ſunt ea MSa Genealogica, quæ in Codice Bibliothecæ Regiæ Flateyenſi continentur, de quibus cap. I. Sect. IV. §. XIX. fuſius egimus. Magni has Genealogias fecit *Stephanus Joh. Stephanius*, qui Saxonem ad earum tenorem emendare non dubitavit, ceu ipſe teſtatur in notis ad Saxonem p. 106. Imo ipſe Saxo ex Danorum Regibus in Catalogis his recenſitis usque ad HRolfum Krakium præter unum non omiſit, licet diverſum ſervaverit ordinem, imo nonnullos ſupra Chriſti nativitatem exaltarit, qui longo poſt Chriſtum

natum

natum tempore demum floruerunt. Videatur *Torfæus* l. c. p. 219. ubi plura lectu jucunda obſervare licebit.

§. IV. Nec defuerunt Danis viri docti, qui tabulas Regum Daniæ Genealogicas ſecundum Guthilandorum hypotheſin concinnatas dederunt. Neutrum tamen horum memini, qui ſcriptis editis Genealogiam hanc exponere alloboraverit, ſi Claudium Chriſtophori Lyſchandrum excipiam, de cujus opere Genealogico vernaculo jam ſupra a nobis actum eſt. Memorandum itaque huc etiam venit MSum quod ex Bibliotheca Viri ſumme Reverendi Domini *Johannis Bircherodii*, Epiſcopi quondam Aarhuſienſis in Bibliothecam Friderici Roſtgaardii tranſiit, & ſequenti gaudet titulo: Danſke / Svenſke og Norſke Konger Blods Udregung fra Gomer og Magog Iaphets Sönner / uddragen af Herr Erich Krabbes og Herr Chriſten Geertſens MSSis i. e. Calculus Genealogicus Regum Daniæ, Sueciæ & Norwegiæ a Gomero & Magog, filiis Japheti, collectus ex Erici Krabbii & Chriſtiani Gerhardi MSSis. Vid. Catalogus Bircherodianus Hafn. 1709. 8vo vulgatus p. 18.

§. V. Recentiores ſunt, qui Sereniſſimorum ac Potentiſſimorum Daniæ Regum ex ſtirpe Oldenburgica oriundorum Genealogiam dederunt. Sunt autem illi (ut generaliora, quæ de iis Cypreus & Joh. Bocerus notarunt h. l. omittamus) 1) *Reinerus Reineccius*, Steinheimenſis, in Academia Julia P.P. cujus

Genealogia de familiis Capetingica, Danica, Oldenburgica, Schaumburgica vel Holſatica, Stadenſi & Lippienſi, ſubjuncta eſt Alberti Stadenſis Chronico ab ipſo 1587. edito 2) *Jacobus Gerſchovius*, J. U. D. & Prof. Gryphiswaldenſis, cujus *Genealogia Regio Danica & Regio Ducalis Holſatica edita eſt* Slesvici 1639. 8vo Videantur de eo *Neuius* in acceſſionum P. II. 1. ad *Wheari* Prælect. Hiem. p. 319. *Struvius* in Biblioth. Hiſtor. p. 724. & Cl. Mollerus in Introduct. Part. I. cap. XI. §. IV. p. 176. qui Ἀποσπασμάτιον putat eſſe Trophei Europei, ſive Tokeologiæ Illuſtr. Univerſalis omnium orbis Chriſtiani Imperatorum, Regum, Electorum, ArchiDucum, Ducum, &c. publice ab eo jam A. 1624. in Catalogo Anniverſario promiſſæ. 3) *Valentinus Nicolaides de Dumradt*, Frantzburgenſis, Parochus Ivenſis, qui edidit: *Seriem 131. majorum Chriſtiani V. Friderici & Ulrici Principum Daniæ per ſex gradus recenſitorum, Genealogicam. Tychopoli* 1659. 4to. Ejusdem quoque exſtat: *Series Majorum Johannis Lubecenſis Epiſcopi Genealogica, ex Chytreo, Hamelmanno & aliis collecta Sleſvici 1640. 4to* 4) *Andreas Voſſius*, Epiſcopus Bergenſis in Norwegia vulgavit *Genealogiam Regum Daniæ & Norwegiæ, Ducumque* (Comitum) *Oldenburgicorum poſt ſinceram religionem florentium* Hafn, in 8vo Vide Gryphium de Script. Hiſtor. Sec. XVII. p. 540. 5) *Joh. Thomæus Paulſen*, Randruſia Danus, *Stemmata Regum* Daniæ & Ducum Holſatiæ a Theodorico Fortunato Comite Oldenb. & Delmenhorſt. derivata conſcripſit, quæ

Hafn,

Hafn. 1656. & Lubecæ 1657. 8vo excuſa ſunt. 6) *Johannes Juſtus Winckelmannus*, Conſiliarius Haſſiacus & Oldenburgicus, Arboretum Heroum Europæorum ex familia Oldenburgica Oldenburgi 1664. fol. excudi curavit 7) *Anonymi* Vollkommener Genealogiſcher Stamm-baum der Könige in Dennemarck und Hertzoge in Sleſwig Holſtein von Chriſtiano I. A. 1449. biß zu Ende des 1702ten Jahres/ Hiſtoriſch und Genealogiſch beſchrieben / wobey der Stamm-baum zu mehrerer Erläuterung in Kupffer vor-geſtellet wird; beygefüget der continuirten Fort-ſetzung Adami Olearii Holſteiniſchen Chronica Francof. 1703. 4to. 8) denique huc pertinet MSum quod in Bibliotheca Gottorpienſi latet, ſequentique gaudet titulo: Genealogie und Thaten der Könige in Dennemarck/ Olden-burgiſcher Linie. Taceo Genealogiam Regum Daniæ e ſtirpe Oldenburgica, quam molitum fuiſſe Scipionem Amiratum teſtatur Mollerus l. c. p. 172. Ipſe ego Jenæ amicum habui Virum Nobiliſſimum *Andream Scheurium*, Serveſta Anhaltinum, qui ſtemmata Regum Daniæ Oldenburgicæ lineæ, necnon Güldenloviorum, Rantzoviorum & Ahlefeldiorum Genealogice diſpoſita, & notis hiſtoricis brevioribus a ſe illuſtrata, preloque parata ſæpius mihi monſtravit. Cæterum hæc ipſa Genealogia recentior, ex Genealogicorum modernorum tabulis hauriri poteſt, quippe qui ſtemmata omnium Europæ Principum Illuſtrium exhibentes, Danorum non facile omiſerunt.

§. VI. Dicenda quoque hoc loco quædam forent de Scriptoribus iis, qui Genealogiam familiarum Daniæ Nobilium & Equeſtrium concinnaverunt, ſed eorum exigua meſſis eſt. Unicus ſaltem hic nominandus eſt *Axelius Güldenſtern*, Toparcha Ivernenſis & Epiſcopus Ottonienſ. qui Genealogiam familiarum Daniæ Nobilium ſcripſit, ineditamque poſt ſe reliquit, ceu ex Lyſchandri Catalogo *ἀνεκδότων* affirmat Cl. Mollerus in Spicileg. Hypomn. ad Barthol. p. 8. cui addimus h. l. tractatum Genealogicum de Nobilibus Danis & Suecis Anonymi, quem MSum olim penes ſe in forma folii ſervavit D. *Johannes Bircherodius*, ceu videre licet ex Catalogo Bibliothecæ ejus Hafn. 1709. 8vo edito p. 22. Cæterum conferatur ad hunc §. Mollerus Part. I. Iſagog. cap. XI. p. 169. ſqq. Illuſtriſſimorum Comitum Reventloviorum Genealogiam hoc ipſo anno 1715. Lubecæ dedit Vir illuſtris Fridericus Roſtgaard Regius ſtatus Conſiliarius ſub ſequenti titulo: *Atrium Domus* Reventlovianæ in cujus uno latere illuſtriſſimi atque excellentiſſimi Herois Domini Conradi Comitis de Reventlow, Domini in Clausholm, Callœ, Friſenwold & Loyſtrup, Ordinis Elephantini Equitis aurati, S. R. M. Daniæ & Norwegiæ Cancellarii Magni, Conſiliarii intimi & Provincialis, ſummi Venationis Regiæ Præfecti, Univerſitatis Hafnienſis Patroni, ſplendidiſſimi Parentes atque Progenitores utriusque ſexus inde a decimo generationis gradu prout

prout ex fide dignis monumentis colligi potuerunt juſta ſerie deducti recenſentur; in altero vero pariete idem illuſtriſſimus heros cum fratribus ac ſororibus & ex illis deſcendente numeroſiſſima progenie, quantum fieri potuit, accuratiſſime proponitur. Quæ quidem omnia ut grati in beatiſſimum Heroem animi, humillimique in familiam illuſtriſſimam obſequi aliquod exſtaret monumentum in publicam lucem producuntur a Friderico Roſtgaard. Lübecæ in fol. forma patente.

CAPUT IV.

De
SCRIPTORIBUS REGNI DANIÆ CHOROTOPOGRAPHICIS

§. I.

ANtequam Chorographicos Daniæ Scriptores recenſeamus, merito *Nicolai ſive Claudii Nigri*, Mathematici, laudes hic præmittendas eſſe cenſuimus. Celebratur autem hic inter Danos aut e Dania oriundos, vel hoc nomine, quod univerſam Daniæ deſcriptionem & delineationem perelegantem petitione Regis impulſus depropeaverit. Obſtrictos ei hunc ſuum ob laborem omnes profitetur doctos *Franciſcus Irenicus* ap. Pontanum in Chorographica Daniæ deſcript. p. 785.

§. II. Ex inſtituto Choro ſive Topographicam Daniæ deſcriptionem dederunt quam

plurimi, de quibus hic paulo fuſius commentari animus eſt. Primum inter hos locum tenet M. *ADAMUS*, *CANONICUS BREMENSIS* qui ſcripſit *libellum de ſitu Daniæ & reliquarum, quæ trans Daniam ſunt, regionum natura, deque gentium iſtarum iſtis temporibus, moribus ac religione.* In hujus libelli initio auctor Adamus ſtatim Jutiam Peninſulam, Regni Danici partem deſcribit, eamque ab Imperatore Ottone tributo ſubjectam eſſe narrat, recenſet præterea breviter Epiſcopatus in Jutia ab Ottone conſtitutos, pergitque deinde in deſcribendis Fioniæ & Sælandiæ inſulis, nec non Sconiæ Provinciam, ejusdemque latitudinem, longitudinem, fertilitatem, Eccleſias & Epiſcopatus pluribus exponit. Poſt hæc de natura maris Balthici quædam diſſerit, iterque per illud in Sueciam, Gothiam &c. inſulasque adjacentes deſcribit, ut & de Suecorum, Gothorum aliorumque Septentrionalium populorum natura & moribus varia adducit, a fabulis tamen antiquorum non omnino abhorret, id quod vel ſola de Amazonibus eorumque filiis Cynocephalis narratio evincit. Tandem Normanniæ veteris, hodie Norwegia dictæ, nec non Thyles veteris deſcriptionem addit, narrationique ſuæ, poſtquam de Inſulis Normanniæ adjacentibus quædam monuiſſet, finem imponit, Deumque celebrat, qui piraticas has & barbaras inacceſſasque propter idolorum cultum regiones, lumine Evangelii colluſtrare non dedignatus fuerit. Editus primum libellus

bellus hic fuit ab *Erpoldo Lindebrogio* Anno 1595. & 1609. calcique Hiſtoriæ ejus Eccleſiaſticæ adjectus eſt. Seorſim eundem vulgarunt *Joh. Meſſenius*, Supremi Dicaſterii adſeſſor Holmiæ 1615. 8vo (ſub titulo: Chorographiæ Scandinaviæ ſeu deſcriptionis vetuſtiſſimæ Regionum Aquilonarium, Sueciæ Daniæ & Norwegiæ) & *Stephanus Johannes Stephanius* in tractatibus variis de Regno Daniæ & Norwegiæ a p. 1. - 42. Quibus adde editionom a *J. Joach. Madero* Helmſtadii 1670. publicatam. Falluntur ideo, qui libellum hunc Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ a Vellejo Hafn. 1597. editæ adjectum aſſerunt. Omiſſus enim in illa editione eſt vitio MSi Sorani, quod ſecutus eſt Vellejus, eodem deſtituti. Vide Molleri præfat. noviſſ. in Introd. p. 5. ubi aſſertum ſuum p. 3. Introd. obvium corrigit atque emendat. Eundem tamen errorem retinuit *Neuius in Acceſſionibus ad Degoreum Whear*, qui Molleri præfationem forſitan non accuratè inſpexit. Novam ejus editionem notis ſuis illuſtratam promiſit, *Joh. Schefferus*, ſed morte præventus abſolvere non potuit,

§. III. Adamum ſequitur *SAXO GRAMMATICUS* florentiſſimus rerum Danicarum ſcriptor, cujus *Commentariolus de Regnorum Aquilonarium ſitu & natura* extat inter Reſpublicas Elzevirianas a p. 42. - 52. continet Chorographicam Daniæ Inſularum deſcriptionem nec non finium & limitum Norwegiæ brevem enarrationem-

§. IV.

§. IV. Succedit *JONAS KOLDINGENSIS*, Gamſtadienſis in Jutia Parochus, cujus *Coronarium, brevem Daniæ deſcriptionem, Regnique ſitum & ſtatum continens* prodiit primum Sleſvici 1584. 4to deinde curis ſecundis auctum Francofurti 1594. editum eſt ſub titulo: *Novæ deſcriptionis Daniæ, Inſularum & partium Arcticæ Plagæ præcipuarum Theatrum repræſentans.* Ad calcem adjectus eſt ejusdem auctoris Carminum libellus res varias continens. Denique inter tractatus varios *Stephanii* ſæpius citatos locum quoque integrum hoc opuſculum invenit ſub eodem titulo a pagina nempe 172. - 266. Nos h.l. pro inſtituti ratione brevem opuſculi hujus recenſum exhibebimus. Sequemur autem editionem Francofurtanam, hæc enim auctior eſt illa, quam Stephanius in ſylloge, citata dedit, quippe in qua Stephanius nonnulla omiſit, quæ ipſi ſuperflua viſa ſunt, talia ſunt quæ in editione Francofurtenſi p. 78. 79. & 80. item p. 83. 84. & 85. reperiuntur. In præfatione (quam etiam Stephanius brevitatis gratia omiſit) monet auctor Jonas, ſe privato quodam ſtudio nonnulla de patria Dania in Commentarium retuliſſe, hoc quidem ſcopo ut alios doctiores ad ſimile officium patriæ præſtandum aliquando excitaret. Operis autem januam præcipue ſibi aperuiſſe Henricum Belovium, Regium arcis Koldingenſis præfectum, qui ipſi retulerit, Magnum Regni Cancellarium, Nicolaum Kaaſium avide exſpectare, nihilque magis in votis habere, quam

ut

ut eruditorum quidam Topographiam exactamque Chorographiam Daniæ pro dignitate definiret. Hujus igitur ſe votis ſatisfacere voluiſſe teſtatur, præſensque opuſculum Romana lingua conſcriptum Cancellario tradidiſſe, cui cum apprime placuerit, typis publicis illud exſcribi ſe paſſum fuiſſe. In ipſo opuſculo de gentis Danicæ, Suecicæ & Normannicæ origine & ortu quædam præmittit, easque genere Gothos eſſe affirmat, probatque Gothicum nomen primum & principaliſſimum genti huic Boreali primis temporibus impoſitum fuiſſe. Monarchiæ vero inſtituendæ occaſionem præbuiſſe Slavos prædandi ſtudio inhiantes, ait, Gothosque ut eo commodius Slavos contunderent de creando Rege conſilium cepiſſe, dignitatemque hanc Dano ob rerum a ſe geſtarum amplitudinem ultro detuliſſe A. M. 2910. Poſtea emigrationes Danorum in alias Regiones recenſet, qua nempe ratione varios orbis terrarum populos ſubjugaverint, refertque Hiberniam octies, Angliam decies, Saxoniam quinquies, Slaviam 24. vicibus, Livoniam ſepties, totamque Ruſſiam octies, Sueciam (*) octodecim & Norwe-

(*) Succiam quater & vigeſies a Danis ſubactam eſſe refert *Varillaſius* in libro de revolutionibus Europæ in cauſa religionis, ſed perperam, caſtigatus proinde ab Ill. *Puffendorffio* in Appendice Iſagoges ad Hiſtoriam de præcipuis ſtatibus Europæ p. 17. Vide Acta Erud. 1688 menſe Majo p. 254. addatur Pontanus in Chorograph. Dan. p. 776. qui eadem in Jona refert, in eo tamen differt, quod Succiam 22ies perdomitam a Danis tradat,

Norwegiam triginta duabus vicibus armis Danorum occupatas fuiſſe, Regibusque Daniæ (quorum nomina ſigillatim exhibet) juraſſe homagiumque præſtitiſſe. Poſt hæc ad Chorographicam provinciarum Daniæ deſcriptionem ſe accingit, Gothiamque ſive Jutiam & meridionalem & Septentrionalem cum VI. ejus Diœceſibus, Ripenſi, Aarhuſienſi, Burglavienſi, Wiburgenſique deſcribit, pergit deinde ad Fioniæ inſularumque Fioniam circumjacentium delineationem, hinc Seelandiam, hujusque inſulæ memorabilia exhibet, nec non arcis Cronenburgi, caſtri munitiſſimi fuſiorem paulo deſcriptionem ſuppeditat, & denique poſtquam Scaniam, Hallandiam, Blekingiamque Topographice delineatam propoſuiſſet, opuſculo ſuo colophonem imponit.

§. V. Poſt hunc Illuſtris *HENRICUS RANTZOVIUS*, Cimbriæ noſtræ quondam Pro-Rex idem ſaxum volvere allaboravit. Conſcripſit enim hic Regni Daniæ ſtatus præſentis expoſitionem, cum Chorographia Daniæ, nec non Holſatiæ & ad hanc pertinentium Ducatuum ſingulari deſcriptione. Publici quidem Juris hæc deſcriptio, quantum ego quidem ſcio, facta non eſt, concinnatam tamen ab eo eſſe teſtatur Petrus Lindebergius in Hypotyposi Rantzoviana cap. III.

§. VI. Memorandus autem præ cœteris h. l. eſt *Joh. Iſaacius PONTANUS*, cujus *Chorographica Regni Daniæ, tractusque ejus univerſi Borealis*

deſcriptio

deſcriptio adjecta eſt ejus Hiſtoriæ Danicæ. Amſtelod. 1631. fol. editæ a p. 637. usque ad finem. In præfatione hujus deſcriptionis (quam cedro & ſole digniſſimam eſſe ait Suaningius in prolegom. ad Chronol. Dan. p. 30.) de utilitate deſcriptionis Chorographicæ locorum, ad cognoſcendam Hiſtoriam agit, monetque & ſe eam Hiſtoriæ præmittere primum voluiſſe poſtea autem mutato conſilio ſubjunxiſſe. Deinde præmiſſò totius Regni Danici complexu ejusdem nomen inveſtigat, & Cimbricam Cherſoneſum ex Strabone, Plinio, Tacito, Pomponio Mela, Claudio Ptolemæo, Marciano Heracleota, & Adamo Bremenſi exhibet. Poſtea Iütlandiam ejusque diœceſes, ſeptentrionalem & meridionalem, ut & Holſatiam, & quæ huc ſpectant, deſcribit, poſtea Scaniæ nomina ejusdemque deſcriptiones veterum exhibet, & de Gothis contra Jornandem, Scaligerum, Cluverium & alios diſputat. Hinc Norwegiam Sueciamque modernam percurrit, & Balthici Maris Inſulas ex priſcis auctoribus, illuſtrat, adjecta diſſertatione de Thule & aliis verſus boream inſulis. Tandem vero Regni Danici ſtatum Politicum, ordines, ſtatus, nativa bona ac dotes, Danorumque ingenia, ſtudia, mores, & alia huc ſpectantia conſiderat, Indicem etiam Academiæ Hafnienſis Cancellariorum, Rectorum & Profeſſorum ſubnectit.

§. VII. Repetenda quoque hic eſt *Olai WORMII deſcriptio limitum inter Daniam & Sueciam,*

am , quæ ejus ſeriei duplici antiquæ Regum Daniæ Hafn. 1642. fol. editæ adjecta. Poſiti hi limites ſunt a Suenone Tiuffreskeg Daniæ & Omundo Slemme Upſaliæ Rege , per electos utriusque regni Viros, qui lapides in confiniis Hallandiæ, Scaniæ, Blekingiæ & Sueciæ erexerunt. Monet porro Cl. Wormius horum limitum rationes fuſius deductas reperiri in Codice LL. Scanicarum, quam in Selandicis impreſſis, reperiri tamen (1) in Seelandicarum LL. volumine Anno Domini 1505. (*) in Profeſto Annunciationis B. Virginis, typis Godofredi Chemen impreſſo (2) in Chronico vetuſtis Rythmis Danicis Hafniæ A. 1495. edito (3) in Olai Petri Hiſtoria Regum Suecorum , & denique (4) apud Erasmum Lætum libr. IV. rerum Danicarum.

§. VIII. Neque tacendus eſt *MARTINUS ZEILERUS* , cujus extat Deſcriptio Daniæ & Norwegiæ Germanica Ulmæ 1648. & 1658. 8vo edita. Eadem hæc deſcriptio, cui Sleſvici & Holſatiæ delineatio acceſſit Amſtelod. 1655. 120. latine prodiit , conſiſtitque in brevi Urbium deſcriptione potiſſimum, additis tamen harum iconibus. Belgice eadem verſa ab A. *Van den BERG* prodiit 1658. 120. Videatur Clm. Neuius in Acceſſionibus ad Wheari prælectiones part. II. p. 334. qui etiam ejusdem verſio-

(*) Errore typographi procul dubio hic legitur An. 1410. quo tempore typographia nondum cognita fuit. Annus autem, quem reſtitui, eſt vetuſtiſſimæ, quam vidi editionis LL. Selandicarum.

verſionem Germanicam Ulmæ 1658. 8vo editam memorat. Idem confirmat Cl. Beughemius in Bibliogr. Hiſt. p. 510. ſq. Placet hic annectere *Henrici Meibomii* de Martino Zeilero judicium, quod habetur in Introduct. in Hiſtor. Saxon. Infer. p. 55. ubi ſic de eo ſcribit: *Quamvis Topographiæ iſtæ* (Zeileri ſcilicet) *magno ſumtu factæ & multis tabulis in æs inciſis exornatæ ſint, deſcriptiones etiam urbium & locorum non ſine multo labore a Zeilero factæ ſint, ideoque inſigni uſu non careant: tamen, ſi verum dicendum eſt, plurima in deſcriptionibus deſiderantur, nec ſcriptores quosque optimos ad manus habuit, nec in iis, quæ inde habuit, ordinandis judicio ſemper uſus eſt, nec incerta a certis ſeparavit, uti etiam plurima nullius momenti paſſim inſeruit.* Conferatur etiam Sluteri Propylæum Hiſt. Eccleſ. Chriſt. p. 65. & Venerandi *Gœtzii* Princeps Ebraice doctus p. 13.

§. IX. Nec defuerunt inter Danos, qui idiomate patrio Topographiam Regnorum Daniæ & Norwegiæ exhibuerunt. Inter hos locum omnino tenet non infimum, *Janus Laurentii Wolffius*, Bibliopola Hafnienſis Ano 1584. natus, qui ſermone patrio conſcripſit ſumtibusque ſuis inprimi curavit: *Encomium Regni Daniæ* det er Dennmarcks Riiges lof oc dets Hoyloflige Konge Riges tilhörige provinciers, Oers/ Kongelige Slotters og Feſtningers/ Herrn Säders/ oc andre präctige Bygenigers beſkrivelſe ꝛc. til ſammenſkrevet af Jens Lauridzon Wolff/ Boghandler Hafn. 1654. 4to i. e. *Encomium Regni Daniæ, ejusdemque provinciarum, inſularum,*

 arci-

arcium, regionum & fortalitiorum, ſedium nobiliorum & aliorum magnificorum ædificiorum deſcriptio, item Regum coronationes, Equitum & nobilium heroica facta, veterum potentiſſimorum Regum, Reginarum, Principum & Epiſcoporum monumenta & ſepulchra. Epiſcopatuum etiam, Capitulorum, templorum, monaſteriorum, noſocomiorum, Academiarum, Scholarum, Gymnaſiorum fundationes, parochias item præfecturas & emporia cum eorum privilegiis & commercio exhibens autore Jano Laurentio Wolfio pag. 687. præter dedicationem ad Frider. III. Quid in hoc libro contineatur, ex inſpectione tituli facile patebit; in gratiam tamen Lectoris brevem contentorum ejus conſpectum dabimus. Continet autem Jutiæ, Fioniæ, Sælandiæ, Scaniæ & Gothlandiæ, præfecturarumque & Diæceſeω̃n ad provincias has pertinentium, uberiorem delineationem, quippe circa quævis minima accurate conſideranda verſatur, ita ut cujuslibet provinciæ flumina, urbes, portas, curias, inſignia, templa, arces, ſcholas, Monaſteria, Noſocomia, ædificia publica, aliaque quæ in iis memorabilia & notatu digna occurrunt accurate recenſeat & deſcribat. Sane laudandum eſt auctoris profeſſione licet non literati, egregium in illuſtranda hiſtoria Patriæ ſtudium, qui nec labori nec impenſis unquam pepercit, quo patriæ hiſtoriæ notitiam conſervaret atque promoveret. Teſtantur id varia ſcripta, ab ipſo collecta & ſuis ſumtibus typis exſcripta, Hiſtoriam Danicam ejusque antiquitates egregiè illuſtrantia, de quibus ſingulis ſuo loco fuſius acturi ſumus.

§. X.

§. X. Wolffio jungimus *ARNOLDUM BERNHARDI* Norwego-Bergenſem, Urbis Hafnienſis Secretarium, Anno 1680. den 19. Decem. ætat. 71. defunctum, qui patrio ſermone edidit: Danmarkis og Norgis fructbare Herlighed ſammenſkrevet af Arent Berentſen / Bergen/ byeſkriver udi Kiøbenhafn. i. e. *Daniæ & Norwegiæ ſplendor & annui reditus Hafn. 1656. 4to.* Quatuor libris totum opus comprehendit Auctor, & in primi quidem libri parte prima, Daniæ limites, diviſionem, fertilitatem & incolarum ſtudia in genere deſcribit, adjecta ſpeciali delineatione totius Regni, diviſi in Epiſcopatus, provincias, præfecturas, judicia & parochias. In parte ſecunda Norwegiæ limites, diviſionem, ſitum, Epiſcopatus, præfecturas, parochias, emporia, regionis item fertilitatem & naturam generatim pariter ac ſingulariter repræſentat, ſubjuncta itidem Norwegiæ breviori, Islandiæ autem prolixiori delineatione. Dehinc communem utriusque Regni Oeconomiam conſiderat, & libro II. binis partibus abſoluto, Prædiorum naturam, proprietates, aliaque ad eadem pertinentia, ut agros, ſylvas, piſcinas &c. explicat, eorundem etiam reditus, onera & contributiones omnemque Oeconomiæ rationem tradit. Libro IIItio, qui tribus conſtat partibus, exponit ea, quæ in emtione, venditione, diviſione hæreditaria, & permutatione circa prædia uſitata ſunt & legibus diſpoſita. Denique liber IVtus, binis partibus incluſus, continet omnem harum

regionum, menſurandi & ponderum rationem, taxam etiam & publicam & privatam latius declaratam. Auctor a prima ſtatim juventute in prædiis Nobilium aut in Aula Magnatibus Regni ſerviit, & paulatim ſtudioſa obſervatione & annotatione ſingula collegit, ita quidem ut delineationem Regni Daniæ, ſeu diſtributionem in omnes ſuas partes, provincias libro 1. comprehenſam, jam Anno 1653. inprimi fecerit. Librum vero II. An. 1650. librum III. 1651. & IV. 1652. publicavit. His demum librum I. addidit & Anno 1655. & 1656. conjunctim omnia edidit, Regique & Regni Senatoribus humillime inſcripſit. Obiit auctor Hafniæ 1680. d. 29. Decembr. anno ætatis 71. Vide Bartholinum de Scriptor. Dan. p. 13.

§. XI. Eodem anno 1656. *TITUS BULICHIUS*, Conſul Hafnienſis Anno 1648. d. 9. Auguſti ætatis 45. defunctus Orationem edidit de Regno Daniæ Hafniæ in fol. excuſam. Taceo *RUTGERUM HERMANNIDEM* Juris utriusque Doctorem & Hiſtoriarum Profeſſorem Hardervicenſem, cujus extat deſcriptio Daniæ, Norwegiæ, Slesvici atque Holſatiæ Amſtelod. 1670. 12mo edita. Deſcriptionem hanc bipartitam Chronologicam ex Pontano, Danckwerthio & Zeilero collectam vocat Cl. Neuius in Acceſſionibus ſupra citatis p. 335. Dictionis autem ſordes & exiguum ejus judicium notavit Cl. Mollerus in Iſagoge P. 1. p. 7.

§. XII. Noviſſime Daniæ Regni Topogra-

graphiam exhibuit Clmus *OTTO SPERLINGIUS*, J. U. D. & Conſiliarius Regius. Edidit hic tractatum, quem Boream inſcripſit, & in VII. capita diviſit. In priori agit de divina natura Boreæ in 2) de ſerenitate Boreæ in 3) de fœcunditate Boreæ in 4) de Eteſiis Borealibus in 5) Jotos & Jotumheimos eosdem cum Gothis eſſe demonſtravit in 6) Piſcationes & navigationes Borealium exponit, & denique in 7) de Mineris Borealium agit. Prodiit liber Hafn. Omitto *JANI PFLUGII* librum Danico idiomate editum ſub titulo : Danſke Pilgrimm / det er Geographiſch og Hiſtoriſke beſkrivelſe af den gantzſke bekiente werden Hafn. 1707. 4to in quo generaliter etiam Regnorum Daniæ & Norwegiæ notitiam Geographicam ſuppeditat. Cui denique addo *OLAI MAGNI*, Præpoſiti Stregnenſis, tabulam terrarum Septentrionalium & rerum mirabilium in iis ac Oceano vicino obviarum, Venetiis primum 1539. ac poſtea aliquoties typis exſcriptam.

§. XIII. Reſtat ut eorum etiam merita celebremus, qui Regnorum Septentrionalium delineationem Choro-Topographicam moliti ſunt, licet eorum opera lucem publicam non adſpexerint. Huc ſpectant 1) *JOHANNES SUANINGIUS*, Senior, cujus deſcriptionem Daniæ MSam ſæpius memorat Stephanus Joh. Stephanius in notis ad Saxonem teſte Mollero P. I, Iſagog. p. 36. 2) *JOHANNES MEJER*, Mathematicus Regius, idem ille

qui mappas Chorographiæ Danckwerthianæ inſertas confecit. Hic quoque Norwegiæ ac Sueciæ tabulas Geographicas 8. vel 9. Voluminibus comprehenſas delineavit craſſiori quidem linea, deſcriptionem tamen hiſtoricam iis addere incepit, ſed non abſolvit. Videntur hodienum tabulæ ab eo expreſſæ in Bibliotheca Regia Hafnienſi. 3) *PETRUS JOHANNES RESENIUS*, qui Atlantem Danicum XII. Tomis ingentibus abſolvendum molitus eſt, in quo omnes Regum Daniæ provincias, imaginesque regionum, civitatum, arcium aliarumque rerum memorabilium æri inciſas ſiſtere voluit auctor. Editio hujus Atlantis jam ab A. 1685. ab auctore, ſumtibus Regiis, parata eſt, ſed mortuo auctore illum amplius ſperare vix licet: Illati tamen Codices MSSi ſunt in Bibliothecam Academiæ Hafnienſis. Specimen illius vaſti operis eſt: *Deſcriptio Inſulæ Samſonæ* de qua mox dicendi locus erit 4) *Andreas Vellejus*, Severini filius, Hiſtoriographus Regius, qui Daniæ, Norwegiæ, Holſatiæ Dithmarſiæ, Orcadumque Chorographiam, una cum earundem hiſtoria civili & Eccleſiaſtica nec non Regum Daniæ, Norwegiæ familiarumque Danicarum nobilium Genealogiis aliquando meditatus eſt.

§. XIV. Addenda hoc capite quædam ſunt de Scriptoribus iis, qui certas Regni Daniæ provincias, Urbes, arces aut inſulas ſeorſim delinearunt. Ex iis autem hactenus mihi innotuerunt ſequentes 1) Petrus *Johannes Reſenius*

ſenius, qui Samſonæ Inſulæ ſ. Samſoæ deſcriptionem latinam Hafn. 1675. fol. dedit. Ejusdem extat: Delineatio Hafniæ Topographica æri inciſa, cum brevi locorum enarratione Danico-Germanice Hafn. 1674. fol. patenti excuſa. Metricam quoque inſulæ Samſoæ deſcriptionem exhibuit 2) *Thomas Kingo*, Epiſcopus Fionienſis. 3) *Willichius Weſthofius*, qui urbes & oppida Sælandiæ deſcripta Hafn. 1608. 4to publicavit Weſthofii hujus Epigrammata quædam de urbibus & oppidis Sialandiæ adjecta ſunt ſyllogæ tractatuum Elzevirianæ a p. 500. - 510. 4) *Johannes Adamus Bergius*, cujus deſcriptio Arcis Fridericoburgenſis Germanicè Hafn. 1646. 4to typis exſcripta eſt 5) denique *Matthias Jani*, ſ. Maß Jenſon / Scaniæ Epiſcopus, qui inaugurationem templi Chriſtianſtadenſis cum ejus deſcriptione, Danice Hafn. 1628. 4to emiſit. Nec pauca procul dubio, de civitate Othonienſi, Fioniæ Metropoli obſervavit auctor Anonymus, cujus tractatus nomen, ſitum & privilegia urbis Othiniæ explicans, ſervatus olim fuit in Bibliotheca D. *Johannis Bircherodii*, teſte Catalogo hujus Bibliothecæ p. 17. Quin & ipſe beatus Bircherodius, deſcriptionem Fioniæ Inſulæ & Diœceſeos Aalburgenſis Topo-Chorographicam aliquando meditatus eſt, reliquit enim MSum poſt ſe Theatrum Fioniæ & Diœceſeos Alburgenſis Geographico-Topo-Chrono-Proſopographicum ſed fata obſtiterunt, quo minus ultimam operi limam addere non potuerit.

Videatur Catalogus modo citatus p. 70. & 71. De *Ripenſi* cœteroquin civitate plura monebit Cl. *Petrus Terpagerus*, cum Ripæ ejus Cimbricæ, quas in præfatione ad inſcriptiones Ripenſes promiſit, lucem aliquando viſuræ ſint.

§. XV. Annectam quoque hoc loco ſcriptores itinerariorum in Regna Daniæ & Norwegiæ inſulasque circumjacentes. Huc referendi præ cœteris ſunt: *Carolus Ogerius*, cujus iter Danico-Suedico-Polonicum latine Pariſ. 1656. 8vo editum eſt. Nitidiſſime itinerarium hoc ſcriptum eſſe teſtatur Gryphius de Scriptoribus ſeculi XVII. p. 536. *Auguſtinus* Liber Baro *de Morsberg* & Beſſort, Ordinis Melitenſium Eques, qui itinera ſua in Daniam, Norwegiam & Sueciam Germanico idiomate expoſuit. *Janus Munckius*, Thalaſſiarcha Regius, qui Danico idiomate conſcripſit: Navigationem Septentrionalem, Det er beſkrivelſe af Seiglads og Reiſen til Nova Dania i. e. Deſcriptionem navigationis Grönlandicæ ad fretum Chriſtiani A. 1619, & ſequenti factæ. Prodiit liber germanice verſus Francofurt. 1650. 4to. Danice autem ab autore editus eſt antea Hafn. 1624. 4to. *Gerhardus de Veer*, cujus Relation der dreyen Schiffarthen gegen Mitternacht 1598. 4to impreſſa proſtat. Addo his *Petri Janſonii* Itinerarium des Schwediſchen Legati Johann Skytte nach Dennemarck / England Holland und Rußland Hamburgi 1619. in 4to excuſum, nec non *Voyage du B. de la Hontan en Dennemarck fait* 1694. 8vo item *Relation*

lation d' un Voyage fait en Dannemark 1702. à la ſuite de l' Envoye d' Angleterre A. 1706. & 1707. 8vo 2. Voll. ut & *Nouveau voyage vers le Septentrion* i. e. novum verſus Septentrionem iter. Anno 1708. 8vo typis expoſitum. Ut librum Gallico idiomate conſcriptum & Pariſiis 1664. 12mo ſub titulo: *Voyages de Mr. des Hayes en Dennemark*, editum h. l. taceam.

§. XVI. Claudant tandem agmen hujus Capitis Scriptores iſti, qui Regionum & Reipublicæ notitiam potiſſimum repræſentant. Inter hos eminent *Anonymi* Epiſtola de regni Daniæ ſtatu Francof. 1659. 4to edita. *Joach. Hagemeieri* Epiſtola quatuor plagis conſtans de ſtatu Daniæ, Sueciæ & Norwegiæ ibidem 1678. 4to vulgata. *Arnoldi Bernhardi* ſplendor Daniæ ac Norwegiæ §. X. memoratus. *Ivari Hertzholmii* liber de præcellentia Regni Danici Hafn. 1662. 4to publicatus. Quibus adde *Anonymi* Daniæ Regni politicum ſtatum, in Stephanii tractatibus variis a p. 266. - 275. exhibitum, item den Staat von Dennemarck per Henricum Ludovicum *Gudium* Halæ in 8vo typis exſcriptum. Ut *Molesworthii* librum de ſtatu moderno Regni Daniæ h. l. prætercam, de quo fuſius infra dicendi locus erit.

CAPUT V.

DE
SCRIPTORIBUS RERUM NORWEGIÆ Inſularumque adjacentium.

SECTIO PRIMA.

De
Hiſtoricis Norwegorum Scriptoribus:

§. I.

CONſideratis & exploſis Scriptoribus, qui Hiſtoriæ Danicæ illuſtrandæ non ſine laude operam dederunt, illi quoque recenſendi a nobis ſunt, qui Norwegorum hiſtoriam & antiquitates illuſtrarunt literisque mandarunt, illorum tamen h. l. non habita ratione qui ſimul de rebus Danicis egerunt.

§. II. Antiquiſſimam Regni Norwegici hiſtoriam expoſuit *Jonas Ramus*, qui Chriſtianiæ 1689. 4to edidit: *Nori Regnum h. e. Norwegiam antiquam & Ethnicam, ſive hiſtoriæ Norwegicæ prima initia, a primo Norwegiæ Rege NORO usque ad Haraldum Harfagrum, quæ ex collatis hiſtoriarum lacunis & antiquitatum fragmentis collegit & breviſſime recenſuit.* Rationem inſtituti ipſe exponit auctor, ſe nempe eos ab origine Regni Norwegici Reges ex Saxone & aliis monumentis collegiſſe & enarraſſe, quos Snorro Sturlæſonius in ſuo Regum Norwegiæ Chronico vel omiſerit, vel ſaltem breviter attigerit

attigerit. Opus ipſum in VII. capita diſpeſcitur, quibus præfixa eſt præfatio de Normannorum origine. Capite I. Hiſtoriam NORI & Genealogiam II. Othini & Aſiaticorum adventum in Septentrionem III. primum Regum Danorum in Norwegiam imperium IV. Starckateri patriam & res geſtas V. Longobardorum migrationem VI. res geſtas & excurſiones Normannorum VII. natales Haraldi Harfageri tabulis Genealogicis demonſtratos, adductis ſimul hiſtoriæ ſuæ fontibus, autor exponit. In ratione temporis concinnanda Saxonem & Johannem Suaningium ſequitur variaque adducit, quæ magna voluptate ab hiſtoriæ Norwegicæ amantibus luſtrari & evolvi poſſunt.

§. III. Primus vero (ætatis rationem ſi habeas) eruditorum omnium conſenſu, qui de rebus & Regibus vetuſtis Norwegiæ aliquid literis mandavit, fuit *THEODORICUS MONACHUS*, ex Norwegia oriundus. Extat hujus libellus a Kirchmanno cum alio ſimilis fere argumenti opuſculo editus ſequenti titulo: *Duo Commentarii Hiſtorici hactenus inediti, alter de Regibus vetuſtis Norwegicis, alter de profectione Danorum in terram ſanctam Anno 1185. ſuſcepta, eodem tempore ab auctore incerto conſcriptus, cura olim & opera V. C. Johannis Kirchmanni, Lubecenſ. illuſtrati, nunc primum editi ab hujus Nepote Bernhardo Caſparo Kirchmanno J. U. D. Amſtelodami 1684.* 8vo. Brevem opuſculorum horum ſummam exhibent Clariſſ. Actorum Lipſienſ.

Colle-

Collectores Anno 1684. p. 431. ſq. Nos tamen h. l. pro inſtituti noſtri ratione eosdem fuſius paulo enarrabimus, & quædam ſcitu non injucunda pace benevoli Lectoris exhibebimus. In dedicatione, quam Bernh. Caſparus Kirchmannus Sleſvigæ 1683. ad Fridericum Daniæ Hæredem, hodie Auguſtiſſimum Danorum Monarcham, ſcripſit, plura præfatur de gentis Danicæ olim fortitudine bellica quippe qua gentes illæ Dani & Narmanni formidandæ olim potiſſimis terrarum orbis Europæ & Aſiæ fuerunt partibus. Probat hoc Kirchmannus variis Danorum incurſionibus in Angliam, quam per 200 annos afflixerunt, Galliam, Belgium, Italiam, Apuliam, Calabriam & ipſam denique Siciliam, ita quidem, ut Rogerius II. Rogeri filius & Tancredi ab Rollone Nepos, ſubacta Sicilia, ejusdem & Italiæ titulum uſurpaverit, & Regem ſe Italiæ, Siciliæ, Ducem Apuliæ & Calabriæ, Principem Capuæ, Neapolis, Salerni & Amalfis Dominum appellaverit, licet poſtea rogatu Pontificis a titulo Italiæ Regis abſtinuerit. Ipſa de Regibus Norwegicis Hiſtoria a THEODORICO, Monacho Nidroſienſi, ante quingentos annos conſcripta eſt. Abſolvitur autem XXXIV. capitibus, quorum ſumma in fronte operis exhibetur, & incipit ab Haraldo Pulcre-Comato, deſinit autem in Haraldo Hybernienſi. In fine Commentarioli adjectus eſt a Kirchmanno index rerum & verborum quæ in Chronico hocce continentur. Commentari-

mentarius alter Hiſtoricus de profectione Danorum in terram ſanctam circa A. C. 1187. ſuſcepta, eodem tempore ab auctore incerto conſcriptus eſt. In præfatione huic præfixa teſtatur Cl. editor, a pluribus Daniæ eruditis jam diu exoratum fuiſſe avum ſuum Johannem, ut Commentariolos hoſce a ſe ex Bibliothecæ Lubecenſis Codice deſcriptos publici juris faceret, ſpeciatim Stephani Joh. Stephanii literas Soræ 1642. d. 27. Ianuar. ſcriptas allegat, in quibus pollicitus eſt Stephanius, ſe binos hoſce auctores Commentario ſuo illuſtrare velle, eundem tamen promiſſis non ſtetiſſe monet. Opus ipſum XXVIII continet capita, quorum ſyllabus in frontiſpicio exhibetur. Ut autem benevolo Lectori conſtet, quo anno & a quibus profectio hæc ſuſcepta ſit, ſciat velim inſtitutam eam eſſe A. C. 1187. tempore Canuti, Regis Woldemari filii. Viri autem qui profectionem iſtam ſimul aggreſſi ſunt quinque numero fuerunt, (licet primum XV. ad iter iſtud e Dania ingrediendum ſacramento ſeſe obſtrinxerant) videlicet *Ago*, filius Stigh Albi, *Alexander*, Abſolonis Huidii, Epiſcopi, ex ſorore Nepos, *Ako*, nepos Epiſcopi Tuconis, *Albi*, Palnonis filius, & quintus denique *Suueino*, Torkilli filius. Poſtremo huic operi æque ac priori a Kirchmanno adjectus eſt Index rerum & verborum notabilium in tractatu occurrentium. Cœterum de Theodorico hoc noſtro conferantur Barthol. Antiqq. Dan. p. 191. ſqq.

§. IV.

§. IV. Sequitur hunc *SNORRO STURLÆSONIUS*, de quo jam fuſius cap. I. Sect. IV. §. 13. egimus. Conſcripſit patrio Idiomate i. e. Islandico antiquo Chronicon Regum Norwegicorum, quo Genealogias horum Regum vitasque ab Odino usque ad Suerrerem tradidit, ex carminibus antiquis & traditionibus vetuſtiſſimis potiſſimum collectas. In Danicam linguam Chronicon hoc circa A. 1559. tranſtulit, PETRUS CLAUDII, Paſtor quondam Undalinus primarius, cujus verſio cura Olai Wormii prodiit ſub ſequenti titulo: Snorre Sturleſóns Norſke Kongers Chronica, udſat paa Danſke/ af Herr Peder Clauſſen; fordum Sógne Preſti Undal / nu nyligen / menige mand til gafn / igiennemſet continueret og til trykken forſådiget i. e. Snorronis Sturlæi filii, Chronica Regum Septentrionalium (ſeu Norwegicorum) Danice verſa a *Petro Claudii*, Paſtore quondam Undalino primario, denuo in multorum gratiam reviſa, continuata & prelo ſubjecta Hafn. 1633. 4to. *Celeberrimus Wormius*, cujus in res patrias totiusque Septentrionis amori & ſtudio editionem hujus libri debemus, & in dedicatione ad Norwegiæ Pro-Regem *Chriſtophorum Urne*, & in prolixa præfatione, juſtiſſima indignatione invehitur in eos, qui præclara patriæ monumenta ab antiquiſſimis multo ſtudio conſignata negligunt, faciuntque ut exteri credant in terris hisce nullos fuiſſe egregios Principes, ſed meram barbariem & vaſtam præclararum gentium ſolitudinem, quum

tamen

tamen ex iis, quæ Græci Romanique de Cimbris Gothisque ſcripſerunt, concludi poſſit, quod non minus illuſtria domi ediderint facta, quam foras; quæ tamen omnia ignorentur, cum ſcriptores adeo occultemus, eaque ipſa invideamus aliis, quæ nomen noſtrum celebrius apud exteros reddere poſſint; quæ enim a veteribus conſcripta ſunt, ut toti Orbi innoteſcerent, ea nos Eleuſiniis ſacris ſimillima celare imo rejicere, flammis & igne delere, quaſi ad hoc unice congeſta, & ubi paria facere non poſſimus, illorum nos geſta fabulas putare, quorum tamen fides bonis documentis adſtrui poteſt. Alios, queri pergit, nihil admittere in hiſtoria noſtra quod ex Græcis Romanisque Scriptoribus allegari nequeat, reliquis omnibus fidem denegantes, quaſi hi melius ſciviſſent, quæ in Septentrione agerentur, ac ipſi incolæ, ad quos nunqum penetrarunt, nec de quibus quicquam, niſi forte audita, didicerunt retuleruntve ſive vera ſive falſa. Poſt hæc Cl. Wormius varios modos, quibus veteres memoriam ſuam conſervarunt, recenſet, de quibus nos jam ſupra egimus, Snorronis itidem genus, officium, ſtudia & vitæ rationes exponit, quas exinde repetit Cl. Mollerus in Spicileg. Hypomn. p. 45. ſqq. De ipſo Chronico notat incipere illud ab *Odino*, qui ſuo cum comitatu ex Aſia venit in Septentrionem, cujus regna occupavit, aut potius ſecundum Orientalium mores, politiam, artem bellicam & religionem incolas refor-

formavit, quapropter hi eum Principem & caput ſuum conſtitutum, poſt mortem divino cultu proſecuti ſunt. Quod vero ab hoc Odino ordiatur Snorro, pro more ſeculi factum putat celeberrimus editor, quo æque glorioſum credebatur ab hoc oriri auctore, ac alii populi a Trojanis genus ſuum deducere amarunt. Quæ præterea de vetuſtiſſimis rebus dicuntur incredibilia, non ſecundum literam ex poematibus hyperbolice ornatis & allegoriis ſcatentibus ſumtam, ſed ſecundum genuinum ejus ſenſum accipi debere monet Wormius; ita e. g. hujusmodi carmina ſtrenuos & claros Heroes, patriam fortiter contra vim hoſtium defendentes Kämper i. e. Gigantes dicere, veluti Romani ſuos Heroes Tyrannos & potentes, qui aliena ſpoliabantur, nec jus nec æquum curabant, ſanguinemque fundere unice ſtudebant, Troldenänd i. e. Magos appellare, cumque hi in munitis locis ac arcibus habitarent, inde Magos montanos (Biergtrolden) vocare, urſisque, lupis & Draconibus ob tyrannidem comparare. Hiſce aliisque innumeris modis veteres Scaldos ſcripta ſua exornarunt, quæ in hac hiſtoria ad Haraldi usque vitam bene obſervanda eſſe monet Wormius. Obſervavit cæteroquin auctor Snorro loca, ubi Principes & Reges vixerunt, ubi ſepulti ſunt, a quibus multa loca nomen, quod hodieque ſervant, acceperunt. Diverſa hujus Chronici exempla Cl. editor contulit, tam Islandica quam Danica lingua conſcripta;

MSa

MSa Islandica in Bibliotheca Academiæ Hafnienſis obvia finiunt in vita *Magni, Erlingi filii,* Regis XXIV; optimæ vero verſiones, quas habuit editor, vitam *Haquini* Regis XXIX. quoque complectuntur: Cujus tamen hiſtoria a Snorrone ſcripta non eſt, cum occiſus ille ſit A. 1240. vigeſimo quinto Regni Haquini, quod expreſſe affirmatur in Chronico p. 747. Quæ porro ipſe Snorro de fundamentis Hiſtoriæ ſuæ breviter præfatur, ea pleraque jam tum attigimus. In ipſo opere (ut ea quoque paucis indicemus) auctor numerat X. Drottos Suedicos, XVIII. Reges Sueciæ, VI. Norwegiæ regulos & XXXV. Monarchas Norwegiæ ab Haraldo Harfagero I. Pulchricomo usque ad Regem Olaum Haquini & Margarethæ Filium Anno 1387. mortuum, & ſubſecutam trium Regnorum Septentrionalium conjunctionem Anno 1402. factam. Continuationem huic addidit Olaus Wormius a vita Haquini finita usque ad finem Chronici protenſa. Addidit præterea idem celeberrimus editor 1) Norwegicorum Regum Genealogiam a Rege Haraldo Pulchricomo usque ad Olaum ultimum, quinque tabellis comprehenſam. (2) Chronologiam in hoc Chronicon ex Islandicis annalibus aliisque monumentis ſeptentrionalibus deſumtam ab Anno 849. (quo natus Haraldus Harfagerus) usque ad A. 1025. annis quibuslibet in margine operis notatis. (3) Paralipomena ad Dale-Guldbrandi hiſtoriam, quæ in verſione, qua uſus editor,

non reperta eſt. (4) Scaldatall i. e. Catalogum ſive Indicem præcipuorum Poëtarum Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ, qui geſta Regum literis conſignarunt (5) denique Indicem Principum & Regum, quorum hiſtoriæ hoc libro continentur. Cœterum de verſione Chronici hujus Danica a Petro Claudio adornata confer Cl. Molleri judicium in Spicileg. Hypomn. ad Barthol. p. 41. ubi ait: ipſum non ſolum præfationem Snorronis, ſed & pleraque Poëtarum Septentrionis veterum carmina intellectu propter ſtyli Islandorum obſcuritatem difficiliora omiſiſſe, & alias paſſim illius auctoris narrationes brevius contraxiſſe. Suecicam ejusdem hujus Chronici verſionem jam diu molitus fuit *Gudmundus Olai*, ſed labori immortuus fuit. Poſt illum *Johannes Peringskiöld*, Archivi Holmenſis Secretarius, ac Collegii antiquitatum Suecici Adſeſſor, hanc operam in ſe devolvit, & Anno 1697. Hiſtoriæ hujus Tomum I. priores ſeptem partes exhibentem in fol. edidit, in qua editione paginis in duas columnas diſtinctis habetur textus Islandicus latinis literis expreſſus, nec non verſio Suecica à Gudmundo Olai concinnata & à Peringskiöldo correcta. In inferiore paginarum parte latina ejusdem translatio conſpicitur, adjectæque ſunt breviores notæ hiſtoriam illuſtrantes. Vid. Mollerus l. c. p. 45. ſeq. Titulus Peringskiöldianæ editionis integer hic eſt: Heims Kringla / eller Snorre Sturleſons Konnunge Sagor ſive *Hiſtoriæ Regum Septen-*

ptentrionalium à Snorrone Sturlonide ante ſecula V. patrio ſermone antiquo conſcriptæ, quas ex MSStis Codicibus edidit, verſione gemina, notisque brevioribus, Indice Poëtico vel rerum ſparſim inſertis illuſtravit Johannes Peringskiöld. Snorronis porro hoc Chronicon contraxit & in Epitomen redegit *Chriſtianus Jacobi*, Regiæ Scholæ Soranæ quondam Rector. Extat breviarium hoc ſerie hiſtorica digeſtum, Latioque donatum, ſub titulo: Norwegiæ Monarchicæ & Chriſtianæ hoc ipſo Anno 1712. Glückſtadii in 4to impreſſum, cui ſubjecta eſt brevis Regum Norrigiorum ſive Norwegicorum Chronologia & Genealogia ex diffuſiori Jonæ Rami collecta. Denique monendum eſt *Cl. Struvium* in Bibliotheca Hiſtorica pag. 726. affirmare: Chronicon hoc Anno 1647. 4to etiam typis impreſſum eſſe, quod an veritati reſpondeat, judicent alii, mihi enim de hac editione hucusque nihil innotuit.

§. V. *JANUS* quoque *MARTINI*, Paſtor quondam Slangerupenſis Chronicon Regum Norwegiæ Danico idiomate conſcriptum Hafn. 1594. 8vo vulgavit, ſub titulo: Jens Mortenſens Norſke Kongers Krönicke. Illuſtri Huitfeldio editionem hujus Chronici deberi ex Lyſchandro affirmat Cl. Mollerus in Spicileg. Hypomnemat. p. 18. Ego tamen ex Wormii præfatione ad Snorronis Chronicon aliter ſentirem: Ipſe enim, referente Wormio Chronicon hoc Hafniæ imprimi curavit, ex Codice quodam, quem ab Illuſtri Huitfeldio

acceperat, ratusque eſt ex Isleiffi ſcriptis breviarium hoc Chronici collectum eſſe, verum deceptus in eo eſt Janus noſter, cum totum hocce compendium ex Snorronis Chronico excerptum eſt, niſi quod in locis momentoſis interdum ab eo recedat, quod forte amanuenſis incuria ſæpe factum eſt. Vid. Olaus Wormius in præfatione citata, qui fere in ea eſt opinione, breviarium hocce idem illud eſſe, quod *Petrus Claudii*, Paſtor Undalinus, in gratiam *Axelii Güldenſternii* collegerit, id quod ex loco libri II. ejusdem deſcriptionis Norwegiæ in dicta præfatione citato patere affirmat.

§. VI. *Denique huc refer Chronicon Regum Norwegiæ olim idiomate Norwegico conſcriptum, nunc autem primo Elegiacis verſibus latine expoſitum à M. Halvardo Gunario, Norwego, in Collegio Asloienſi SS. Theol. Lectore ac Archi-Presbytero; deducta continua ſerie ab Haraldo Harfagero ſive Pulchricomo primo Norwegiæ Rege, usque ad Regem Haquinum Haquini Senioris Filium: addita ſunt octaſticha Joh. Sadolini de regibus Daniæ ſimul & Norwegiæ ab Olao Haquini Filio ad Chriſtianum IVtum.* Roſtochii 1606. 4to. Taceo Clmi *Thormodi Torfæi* Hiſtoriam Regum & rerum Norwegicarum Hafn. 1711. IV. Voll. fol. editam, quam, quoniam ad noſtras hucusque non pervenit manus, hic fuſius enarrare non licet.

§. VII. Reſtat, ut de iis quoque h. l. agamus,

gamus, qui Hiſtoriam Norwegicam tradere ſtuduerunt, licet eorum fœtus lucem publicam nondum viderint. Inter hos eminet Anonymi *Hiſtoria Norwegica, tribus Tomis in folio comprehenſa, ex Islandico in Danicum ſermonem translata*, quæ MSta aſſervatur in Bibliotheca Regia Hafnienſi, & ex antiquitatibus Islandicis collecta Nori Hiſtoriam & Genealogiam ſuppeditat, nepotes etiam ejus ac poſteros ampliſſima ſerie recenſet. Vid. Jonas Ramus in ratione inſtituti, quam Norwegiæ ſuæ antiquæ & Ethnicæ præfixit. Forſan eadem eſt cum libro *Originum Norwegicarum* in Codice Flateyenſi percelebri obvio, qui Origines Norwegicas à Fornioto quodam, vetuſtiſſimo Rege deductas, faſtuoſo ſatis titulo continet, monente Torfæo in ſerie dynaſtarum & Regum p. 11. & 13. Spectat etiam huc *Fagrskinna ſive Breviarium Hiſtoriæ Norwegicæ* ab Halfdano Nigro ad Suerrerem deductum, de quo & aliis ineditis pariter ac deperditis Hiſtoriæ Norwegicæ monumentis & fragmentis conferatur Cl. Torfæus l. c. M. etiam *Abſalon Peterſön*, Lector Bergenſis, deſiderio Erici Roſencrantzii, in Walſoë Toparchæ, Gubernatoris Bergenſis, de ſtatu & rebus Norwegiæ quædam conſcripſit, quæ ſæpius deſcripta habentur in Bibliotheca Regia Hafnienſi. Excerpta autem pleraque ſunt ex Snorronis Chronico, ita ut eo facile carere poſſimus. Affectui tamen in nonnullis auctorem nimium indulgere ait Cl. Wormius in præfatione

ad Snorronem ſæpius laudata. Præter hæc *ARNGRIMI JONÆ* ſupplementa hiſtoriæ Norwegicæ MSSta memorantur Stephanio in prolegom. ad Saxonem p. 37. Omitto *Arnoldi de Fine*, Nidaroſienſis antehac Epiſcopi, obſervationes ad Hiſtoriam Norwegicam, Clmo Torfæo ab uxore ejus communicatas, in quibus nonnulla congeſſit, quæ in Hiſtoria Norwegica à ſe ſcribenda exhibere voluit, licet morte præventus nihil abſolverit. Vid. Torfæus l. c. p. 73.

§. VIII. Ad Hiſtoricos Norwegiæ ſuo quoque jure referuntur Auctores illi, qui geſta & migrationes Normannorum eorumque hiſtoriam literis mandarunt; quos Norwegos fuiſſe omnium hiſtoricorum conſenſus, ipſiusque Norwegiæ tum temporis ſtatus confirmant. Non audiendus itaque eſt Pontanus, qui ex Dudone S. Quintini abbate & Guilielmo Gemeticenſi aliisque eos Danos fuiſſe origine ac gente probare nititur Hiſtor. lib. IV. p. 123. ſqq. quo integro libro de Normannis eorumque expeditionibus agit. Vide quæ contra Pontanum, Lyſchandrum, Guilelmum Gemeticenſem & Dudonem diſputat Jonas Ramus in Norwegia antiqua & Ethnica cap. VI. p. 50--66., & in ratione inſtituti No. VI. ubi Normannos Norwegos fuiſſe vindicat. Eminent autem inter rerum Normannicarum Scriptores antiquos *Wilhelmus Calculus* ſive ut aliis placet Gemeticenſis qui libros VIII. Hiſtoriæ Normannorum reliquit, nec

non

non *Dudo* Abbas S. Quintini, qui de moribus & geſtis primorum Normanniæ Ducum librum ſcripſit, ut & *Guilielmus Pictavienſis*, cujus extat liber de geſtis Guilielmi II. Scriptores hos in unum faſciculum collegit *Andreas du Cheſne* ediditque Pariſ. 1619. fol. ſub ſequenti titulo: *Normannorum hiſtoriæ Scriptores antiqui ab Anno Domini 838. ad A. 1220.* Huc etiam pertinet *Thomæ Walſinghami*, hypodeigma Neüſtriæ vel Normanniæ ab irruptione Normannorum usque ad Annum VItum Henrici V. Londini 1574. fol. Neque omittenda ſunt ſcripta illa, quæ in Andr. du Cheſnii Bibliotheca Chronologica Scriptorum Galliæ memorantur: Nos quædam ex iis, utpote ſcopo noſtro inſervientia hoc loco breviter exhibebimus: Parte I. Tomo II. exhibetur fragmentum de Normannorum geſtis circa Pariſiacam Urbem & de divina in eos ultione tempore Caroli Calvi Regis, quod fragmentum ex libris miraculorum Sancti Germani, Epiſcopi Pariſienſis excerpſit Æimonius, Monachus Cœnobii S. Germani de Pratis. Eodem Tomo ſiſtuntur fragmenta duo 1.) de incurſu Normannorum in Waſcoviam 2) qualiter Normanni civitatem Andegavenſem cœperunt, & ab ea per Carolum Calvum expulſi ſunt. Eodem Tomo quoque comparet Chronicon de geſtis Normannorum in Francia ab A. C. 833. usque ad A. 894. Partis II. Tomus III. continet extractum ex Dudonis, Guilelmorumque ſupra citatorum libris, huic

accedunt: 1) Olderici Vitalis, Angligenæ, Cœnobii Uticenſis Monachi libri XIII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Normannorum. 2) Chronica Normanniæ continens multa ad Francorum & Normannorum res pertinentia. Ut reliqua minutiora & recentiora hoc Tomo contenta in præſenti taceam. Porro ad Scriptores rerum Normannicarum pertinent: Anglica, Normannica, Hibernica, Cambrica &c. ex muſeo *Guilelmi Cambdeni* Ffurti 1602. fol. edita, in quibus inter alia occurrit *Guilelmi* Gemeticenſis liber ſupra nobis jam memoratus. Neque omittendum eſt *Guilelmi Appuli* hiſtoricum Poema de rebus Normannorum in Sicilia, Apulia & Calabria geſtis, usque ad mortem Roberti Guiſcardi Ducis, quod habetur Tomo I. Scriptor. Brunſvicenſium ab Illuſtri Leibnützio vulgatorum No. 39. pag. 578--629. Conferatur etiam Dn. de *Maſſeville* Tomo I. Hiſtoriæ Normanniæ à ſe Rhotomagi 1688. 12mo Gallice edito, item *Cl. Nicolſonus* Part. II. Bibliothecæ Hiſtoricæ Anglicanæ, ubi omnes Scriptores Anglos recenſet, qui geſta Normannorum in Anglia ab eorum appulſu usque ad tempus reformationis expoſuerunt.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De
Scriptoribus Regni Norwegiæ Choro-Topographicis.

§. 1.

SCriptorum Regni Norwegiæ Choro-Topographicorum licet exigua meſſis ſit, tamen hoc loco non negligendos eſſe duximus, præſertim cum nonnulli extent, qui veram Norwegici Regni deſcriptionem Orbi literato exhibere allaboraverunt. Hos inter principem affirmantibus omnibuslocum facile tenet *PETRUS CLAUDII*, Paſtor Undalinus, cujus proſtat: Norriges og omliggende Oers ſandfardige Beſkrivelſe / indeholdendis Huisvart er at vide / baade om Landſens / og Indbyggernis leilighed oc vilkor / ſaa vel i Fortum tid / ſom nu i veredage korteligen tilſammenſattet af S. Peder Clauſſön h. e. *Norwegiæ vicinarumque inſularum vera deſcriptio, omnia ſcitu digna compehendens, religionis item ac incolarum tam priſci quam noſtri temporis naturam & ſtatum, breviter collecta à Dno Petro Claudii*, Hafn. 1632. 4to pagg. 185. conſtat præter Indices verborum & rerum nec non dedicationem. Liber hic XXXIV. capitibus abſolvitur, quorum hic brevis erit ſyllabus. Capite I. agitur de Norwegiæ diverſis nominibus Cap. II. de Norwegiæ magnitudine & finibus Cap. III. quan-

do & à quibus populis hæc Regio primum culta & habitata fuerit Cap. IV. de diviſionibus hujus regni diſſeritur. Capite Vto usque ad caput XXX. provinciarum ſecundum diviſionem capite IV. exhibitam deſcriptio ſiſtitur. Capite XXXI. de Orcadibus inſulis & Hiatlandia. Capite XXXII. de Feroa. Capite XXXIII. de Islandia, &capite denique XXXIV. de Grönlandia diſſeritur.

§. II. Interpretem deſcriptio hæc Petri Claudii nacta eſt *Chriſtophorum Stenkublium*, Illuſtris Comitis de Wedel quondam Auditorem. Edidit hic Germanico idiomate Topographiam Norwegiæ, h. e. Eigentliche Beſchreibung des Königreichs Norwegen, darinnen von deſſelben natürlicher Gelegenheit / Gröſſe und Gräntzen / richtiger Abtheilung und enthaltenen Landſchafften / Aemtern / Gebieten / Vogteyen / Pfarren / Städten / Schlöſſern / Bergwercken rc. eigentl. und ausführlicher Bericht zu finden. Aus dem Däniſchen ins Teutſche überſetzet / verbeſſert und vermehret von C. S. K. H. D. 1685. 4to pagg. 173. præter Indices & dedicationem. Monet auctor hujus verſionis ſe peculiari voluptate tractum fuiſſe, res Norwegiæ accurate deſcribere, ſeque proinde optimos quosque ſcriptores rerum Norwegicarum tam indigenas quam alienigenas conſuluiſſe, nullum tamen ſe offendiſſe, qui majori ἀκριβείᾳ deſcriptionem dederit, quam Petrus Claudii. Hujus igitur librum Germanice vertendum delegiſſe ſe ait, ita tamen, ut additionibus

variis

variis paſſim eundem locupletaverit, novaque ſubinde ad hiſtoriam Regni Norwegiæ facientia adjecerit, inter quæ ſeriem Regum Norwegiæ ab Haraldi Harfageri imperio usque ad Margarethæ Danorum Imperatricis regimen deductam numerat. Peculiarem quoque appendicem operi Claudiano adjecit ſeptem Articulis incluſam, quorum I. Norwegorum mores & conſuetudines, II. Diœceſes, Provincias & Præfecturas III. Emporia & municipales Urbes, IV. Vectigalia V. Fodinas metallicas VI. ſeriem Regum ſupra memoratam & VII. Expeditionem bellicam recentiorem nupero bello in Norwegia factam explicat & deſcribit. Deſcriptiones etiam Islandiæ, Feroæ Inſulæ & Grönlandiæ capiti III. & IV. adjectas videbis, quæ alias in Petri Claudii deſcriptione peculiaribus capitibus exhibentur & traduntur.

§. III. Simile omnino conſilium de Norwegiæ accuratiore deſcriptione exhibenda etiam cœpit *Janus Laurentii Wolffius*, Bibliopola Hafnienſis, qui Hafniæ 1651. 4to edidit: Norriges / Islands og Grönlands Beſkrivelſe; i. e. *Norrigiam*, *Islandiam & Gronlandiam illuſtratam.* Mihi quidem hactenus librum hunc inſpicere non licuit, nullus tamen dubito, quin ad methodum Encomii regni Daniæ ab eo editi & ſupra jam nobis laudati, ordinatus & diſpoſitus ſit.

§. IV. *Michael*, etiam, *Petrus Echoltus*, Paſtor in Norwegia Aggershuſanus, curioſis Nor-

Norwegiæ ſitus, naturæ & fertilitatis indagatoribus aliquo modo ſatisfaciet. Extat enim ejus Geologia Norwegiæ Chriſtianiæ 1657. 4to typis exſcripta. Neque lectu injucunda ſunt, quæ auctor Anonymus obſervavit, in tractatu Germanico, qui Lipſiæ 1711. 12mo impreſſus exſtat ſub titulo: Reiſe nach Norden / worinnen die Sitten / Lebensarthen und Aberglauben derer Norweger / Lapländer / Kiloppen, Borandier, Syberier, Muſcoviter, Samojeden und Isländer accurat beſchrieben werden / welche mit denen annehmlichſten Curioſitäten vermehret. In cujus tractatus capp. IX. prioribus de Norwegiæ ſitu, incolarum religione, moribus & aliis rebus memorabilibus varia obſervantur. Neſcio tamen, utrum omnia quæ in opuſculo hoc exhibentur veritati omni ex parte reſpondeant, quapropter cum grano ſalis legenda eſſe iſtiusmodi ſcripta h. l. monemus. Ejusdem forſitan farinæ eſt Dni *Martinerii* iter in regiones Septentrionales, quod Anglicè primum prodiit, deinde Germanice verſum à Joh. Langio, Hamb. 1675. 4to lucem vidit hoc titulo: Herrn Martiniere neue Reiſe in die Nordiſchen Landſchafften / das iſt: Eine Beſchreibung von den Sitten / Gebräuchen / Aberglauben / Gebäuden und Kleidung der Norweger / Lappländer / Killopen / ꝛc. ſamt einem Bedencken über den Irrthum unſerer Erd-Beſchreiber / wo nemlich Grönland und Nova Zembla liegen / und wie weit ſie ſich erſtrecken. Tractatus hic 47. capitibus abſolvitur,

tur, quorum contenta in limine operis exponuntur. Idem hoc iter Batavice verſum prodiit Amſtel. 1685. 4to. Vid. Beughemius in Bibliograph. Hiſtor. p. 596. v. p. 109.

§. V. Denique huc referendi ſunt omnes Scriptores, qui Regnorum Daniæ & Norwegiæ deſcriptionem conjunctim uno volumine exhibuerunt, qorum notitia ex antecedente capite IV. repeti hic facile poterit.

§. VI. Reſtat tamen, hos enarrare h. l. Scriptores, qui certorum locorum, Inſularum, Urbiumque &c. Norwegiæ, delineationem nobis communicarunt. Ex iis hactenus à me notati ſunt 1) *Dietericus Brino*, qui Amſtelodami 1683. 8vo edidit *Deſcriptionem Loufoudiæ*, Inſulæ Norwegiæ, cujus etiam deſcriptionem dat Petrus Claudii in deſcriptione ſupra laudata p. 111. 2) *Chriſtianus Stephanus Bängius*, cujus deſcriptio Urbis Chriſtianiæ in Norwegia ibid. 1651. 4to excuſa eſt. 3) *Arnoldus Johannes de Fine*, Helſingburgo Scanus, Rector primum & Theologiæ Lector Bergenſis, poſtea Epiſcopus Nidroſienſis Ao. 1672. ætat. 58. defunctus. Qui de incendio Bergarum Noricarum elegiace Hafn. 1641. 8vo commentatus eſt, cui denique addimus auctorem Anonymum D. J. F. N. H. qui deſcriptionem Fodinarum Norwegiæ edidit Hafn. 1649. 4to. Cui ob caſus raritatem addimus *Antipantis Franci*, Chriſti Servi, Divinorum characterum, halecum duarum in Norwegia captarum A. 1587, veram Lectionem & ex iis

futu-

futurorum usque ad A. 1628. prædictionem 1591. 4to editam.

SECTIO TERTIA,

De

Islandicarum rerum Scriptoribus.

§. I.

A Scriptoribus Norwegiæ Chorographicis ad Islandicarum rerum conſignatores perrecturi, merito *Arngrimum Jonam*, Paſtorem Melſtandiæ in Islandia nec non vicinarum provinciarum Præpoſitum, Virum, Reſenio teſte, egregie doctum, h. l. primum nominamus. Hic enim *Gudbrandi Thorlacii*, Epiſcopi Holenſis, celeberrimi antiquitatum Islandicarum indagatoris, in Epiſcopatu fuit adjutor, & in enucleanda hiſtoria patriæ ſocius, cujus etiam vitam deſcripſit Hafniæque 1630. 4to edidit. Teſtantur de hoc ejus ſtudio ſcripta ejus non pauca, inſigni eruditionis apparatu conſcripta, de quibus hic pauca monere animus eſt. Extant ejus 1) *Brevis commentarius de Islandia, quo Scriptorum variorum* (Adami Bremenſis, Krantzii, Ol. Magni, Münſteri, Friſii &c.) *de Inſula hac errores deteguntur, ac quorundam* (imprimis Georgii Peerſe, Autoris Germanici mendacis) *convitiis in Islandos occurritur* Hafn. 1593. 8vo. Commentarium hunc *à Steph. Joh. Stephanio* in ſyllogen tractatuum ſæpius memoratorum

&

& Leidæ 1629. 16mo editorum translatum eſſe notat Cl. Mollerus in Hypomn. ad Barthol. p. 165. Mallem tamen excerpta potius eſſe ex Arngrimi variis ſcriptis, ſpeciatim ex libro de Islandia, licet in ipſa ſylloge *Arngrimi Jonæ tractatus de Islandicæ gentis primordiis & veteri Republica*, appelletur. Excerpta autem ea ſaltem eſſe ex eo colligo, quod capite III. p. 376. ipſe citatur Arngrimus, ad eumque remittatur Lector, qui de lingua gentis Islandicæ, ejusque characterum nominibus plura legere & annotare volet. Decem vero capita excerpta hæc Stephaniana potiſſimum continent, quorum I. Islandiæ ſitum Coſmographicum & Geographicum, nec non diverſarum appellationum hiſtoriam tradit. II. inhabitationem Islandiæ ejusque initium exponit III. de lingua gentis IV. de primis Arctoi Orbis incolis V. de moribus ſeu communi vivendi ratione, VI. de forma Reipublicæ Islandorum & de eorum religione Ethnica VII. de muneribus publicis ſeu Magiſtratuum & fori politici diſtinctione VIII. de Nomotheſia veteri Islandorum, præmiſſo veterum Nomophylacum Catalogo, IX. de Monomachiæ legibus & ſacramenti Ethnicorum ritibus & X. denique de mutatione religionis Islandorum agit. (2) *Crymogæa ſeu rerum Islandicarum libri III.*, qui ſæpius editi paſſim in Bibliothecis reperiuntur. Reſenius Crymogæam hanc bis Hamburgi editam eſſe affirmat videlicet primum 1609. 4to cum tabula Da-

niæ

niæ, & partium ejus, Geographica, deinde autem anno ſequenti 1610. absque hac tabula. Editionem Hamburgenſem anno 1618. 4to vulgatam citat Catalogus Bibliothecæ Mulenianæ p. 303. utrum vero hæc cum altera editione 1630. 4to ibidem excuſa, (quam aliquando, neſcio tamen ubi, citatam memini) vere extent, nec ne, de eo nondum certior huc usque factus ſum. (3) *Epiſtola pro Patria defenſoria Hamb.* 1618. 4to typis exſcripta, quæ Danieli Fabricio, de quo mox, oppoſita eſt. 4) *Anatome Blefkeniana* in Islandia primum 1612. deinde Hamburgi 1613. prodiit. Refellit ea, *Dithmari Blefkenii*, (de quo ſtatim plura) mendacia & calumnias in Islandia ejus obvias, & Ordinibus Hollandiæ & Weſt-Friſiæ inſcripta eſt. *Cl. Reſenius* in præfatione ad Chronicon Friderici II. anatomen hanc Hafniæ 1613. 4to prodiiſſe perhibet, ſed de fide hujus aſſertionis valde dubito, forſam Clmus auctor feſtinante calamo Hafniam ſubſtituit, cum Hamburgum indicare voluerit. (5) *Specimen Islandiæ Hiſtoricum & magna ex parte Chorographicum* Amſtelod. 1643. 4to. Deſcribit in hoc opere Cl. Jonas hiſtoriam Islandiæ ab Anno 874. quo habitari cœpit, tueturque ſententiam ſuam adverſus Joh. Iſaacii Pontani argumenta, qui Inſulam hanc natalem ſuam veterum Thulen eſſe arbitratus eſt. Denique his Arngrimi ſcriptis adjicio Anonymi, Scriptoris Islandi *Jomsvikinga Saga* i. e. Jomvikingorum, ſive Julinenſium

nenſium hiſtoriam, Islandice ab auctore conſcriptam, ſed latine ab Arngrimo noſtro verſam, de qua conf. Bartholin: in Antiquitt. Dan. & *Torfæum* in Trifolio Hiſtorico pag. 189.

§. II. Poſtquam Arngrimi Ionæ ſcripta ad notitiam rerum Islandicarum facientia enarravimus, de *Dithmaro* quoque *BLEFKENIO* hic quædam dicenda erunt. Edidit is *Islandiam*. ſive populorum & mirabilium, quæ in ea Inſula reperiuntur accuratiorem deſcriptionem; cui ſub finen quædam de Grönlandia ſubjecta, Lugduni Batav. 1607. 8vo pagg. 71. Auctor Blefkenius (quem Cl. *Struvius* in Bibl. Hiſtor. p. 727. perperam Bleskenium vocat) Anno 1563 Hamburgo in Islandiam navigavit, inde redux Liſſabonam abit & in Africam iter facit per quinquennium, poſtea in aulam Schaumburgicam vocatus, cum Comite Ottone ad Cæſarem proficiſcitur, necnon A. 1582. ab Archi-Epiſcopo Colonienſi Bonnam mittitur. Coloniam propter editionem hujus libelli iturus, latrones eum omnibus bonis, etiam hoc tractatu MSto ſpoliarunt, reperit tamen librum hunc Bonnæ 1588. & publici juris poſtea fecit. Vid. præfationem Bleſkenii libro huic præfixam à p. 9-15. Multa præterea ſe in Islandia vidiſſe ait Blefkenius, quæ ab Hiſtoricis, qui Islandiæ meminerunt, (ut ſunt v. g. Saxo Grammaticus, Olaus Magnus, Crantzius, Münſterus & alii) ſunt omiſſa, eo quod illi Islan-

diam non viderunt. In ipſo denique tractatu agit de tempore, quo Islandia primum cognita fuit, de Islandorum item religione, vita, moribus, mirabilibus ſtagnis & fontibus, nec non de montibus, divitiis & judicio Islandorum. Quæ Gronlandiam ſpectant à pagina 58. usque ad finem exhibentur. Quid de hac deſcriptione ſentiendum fuſius expoſuit Arngrimus Jonas in Anatome ſupra laudata, qui calumnias in ea contentas nec non falſas & inſulſas narrationes pro merito perſtrinxit. Cl. Reſenius in præfatione ad Chronicon Friderici II. jam tum allegata, *ſcriptum impudens ac mendax appellat*, & celeberrimus Torfæus in præfatione ad Vinlandiam antiquam, *effrontem Blefkenii audaciam cenſet, qui itinerarium in Islandiam & Gronlandiam* (quas unquam viderit, dubitat) *ſtupenda temeritate typis excuſum evulgaverit, & apud multos fidem & æſtimationem meruerit.*

§. III. Præter hos *DANIEL FABRITIUS*, Roſtochii A. 1616. 8vo librum edidit de Islandia & Grönlandia, quem vero refutavit Arngrimus Jonas in Epiſtola pro patria defenſoria Hamb. 1618. 8vo edita, de qua ſupra. Conf. celeberrimi *Fabricii Centuria Fabriciorum* ſcriptis clarorum Hamburgi 1709. 8vo edita p. 15. ſqq.

§. IV. *SNÆBIORNUS* quoque *TORPHEUS*, Islandus Annales omnium præſidum Islandiæ edidit Hafn. 1656. 4to. De ſolis in his annalibus agit præſulibus Politicis, non de

de Eccleſiaſticis, ut plurimi arbitrati ſunt, quos proinde notat Cl. Mollerus in Hypomnem. ad Barthol. p. 404. Ejusdem Torphei proſtat: *Lætus Homagii Islandici Mercurius* Hafn. 1650. 4to excuſus, cui adde *Runolphi Jonæ* Islandi, Rectoris initio Holenſis in Islandia, deinde Chriſtianſtadenſis in Scania, *Homagium Islandicum* ibidem eodem anno in 4to editum.

§. V. Denique ad Islandicarum rerum notitiam non pauca ſuppeditabunt: *Theodori Thorlacii*, Islandi, Diſſertatio de Islandia, Vitebergæ 1686 4to edita. *Hieronymi Megiſeri* Septentrio Nov-Antiqua ſive die neue Nord-Welt/ Jsland / Grönland / Frießland und Eſtotiland / Lipſiæ 1653. 12mo cum Figuris æneis. It. Saga Landnama om fyrſtu bygging Jslands af Nordmännern Scalholti 1688. 4to excuſa i. e. Liber Originum Islandiæ, de prima ejus inhabitatione a Normannis facta. Tribuitur liber hic, qui Torfæo in præfatione hiſtoriæ Vinlandiæ conſummatiſſimus audit, *Hauko*, Islandiæ Legifero, de quo jam ſupra egimus, hoc tamen addimus; Sagam hanc ex lingua Runica in Svecicam verſam eſſe a *Joh. Peringskiöld*, qui verſionem quoque hanc a ſe concinnatam edidit 1697. fol. Præter hos *Gudbrandus*, Epiſcopus Islandiæ deſcriptionem Islandiæ Ortelio communicavit, quam ille æri incidi curavit referente Bartholino de Script. Dan. p. 8. Taceo *Jani Laurentii Wolfii*, Islandiam illuſtratam ſupra jam à nobis ad-

ductam, item Deſcriptionem terrarum Septentrionalium Gallice 1698. 12mo vulgatam, quam ad Isandicarum rerum cognitionen facere affirmat Gryphius de Scriptoribus Seculi XVII. p. 537.

§. VI. Islandiæ jungimus *Feroam* & *Orcades* Inſulas. De illa extat, *Lucæ Debeſii*, Scholæ Faröenſis Rectoris, Paſtoris Thorhaunienſis, & Eccleſiarum hujus inſulæ Præpoſiti, *Feröa reſerata ſive* Färoerins Segerrons ſte Jndbyggeris Beſkrivelſe/ Hafn. 1673. 8vo & Anglice Londini 1677. 8vo edita. Deſcriptionem hujus Inſulæ doctiſſimus auctor 8. capitibus incluſit, quorum primum Feroæ inſulæ naturam, ſolum, maria adjacentia, & aeris rationem exponit, Secundum fertilitatem hujus inſulæ, tertium fertilitatem maris adjacentis tradit. Quartum de incolis hujus inſulæ primis eorumque negotiis diſſerit. Quintum naturam & qualitates incolarum exhibet. Sextum Politiam, Septimum religionis ſtatum deſcribunt. Octavum denique de apparitionibus ſpectrorum in hac inſula agit. Poſt hunc commendari meretur *Thormodi Torfæi Commentatio Hiſtorica de rebus geſtis Færeyenſium ſeu Faröenſium* Hafn. 1695. 8vo. Duplex commentario huic præfixa eſt præfatio, in priori Cl. auctor de origine nominis inſulæ Feroæ diſſerit, quod e priſca Celtarum lingua deduci poſſe arbitratur. In præfatione altera laudat Torfæus Debeſium, quod cœli, ſali, ſolique fœcunditatem, nec non populi indolem,

civi-

:ivitatis formam & res Eccleſiæ doctiſſime leſcripſerit, monet tamen, eum geſta gentis ıb aliis parce memorata paucis ſaltem commemoraſſe; ſe ideo defectum hunc præſenti ibro reſarcire voluiſſe, ait, dum ex Codice lateyenſi plura in unum faſciculum collecta; ıoc loco exhibeat. Tractatus Torfæi 45. capitibus abſolvitur, variaque lectu non injucunda nec ſcitu indigna continet. Denique ıdjecit Indicem Epiſcoporum Faröenſium ex ıntiquis annalibus excerptum & in ordinem redactum.

§. VII. Orcadum inſularum res & hiſtoriam illuſtravit Cl. *Torfæus* editis libris III. hiſtoriæ rerum Orcadenſium Hafn. 1697. fol. Conſpectum hujus hiſtoriæ ampliorem ſuppeditant Acta Erud. Lipſienſ. Tomo III. ſupplement. p. 337. ſqq. ad quæ Lectorem ablegamus. Poſt hunc *Jacobus Wallace*, Med. D. & Regal. Societ. Anglic. Socius edidit *An Account of the Islands of Orkney* &c. i. e. Deſcriptionem Inſularum Orcadenſium, acceſſit Diatribe de veterum Thule Lond. 1700. 8vo plagg. 12. recenſum hujus deſcriptionis exhibent Act. Er. Lipſienſ. 1701. menſe April p. 149. ſqq. *Jacobus* iditem *Waltare*, Antiquarius peritiſſimus, qui munere Paſtoris in iſtis inſulis feliciter eſt functus, non pauca de iis detexit. Habetur ulterior harum inſularum deſcriptio, quæ auctoritate ejus nititur, in Cambdeni Britannia per Edmundum Gibſonium edita Lond. 1695. fol. Vid. Acta Erud.

Lipſ. A. 1696. p. 194. menſe Aprilis. Earundem harum Inſularum hiſtoriam quoque molitus aliquando eſt *Andreas Severini Vellejus*, quemadmodum de eo teſtatur *Petrus Septimius* in præfatione ad carmina Heroica Danica ab eo Hafn. 1695. 8vo edita. Quibus denique adde Orknu Saga ſive hiſtoriam Orcadenſium, quam MStam memorat Ol. Wormius in ſyllabo Auctorum Lexico Runico præfixo.

SECTIO QUARTA,

De

GRÖNLANDICARUM RERUM SCRIPTORIBUS.

§. I.

GRönlandiæ Inſula licet a reliquis Europæ partibus longe ſit remotiſſima, complures tamen nacta eſt Scriptores, qui rerum ipſius hiſtoriam tradere, deque iis commentari allaborarunt. Ex Danis primus Hiſtoriam Grönlandiæ contexuit *Claudius Chriſtophori Lyſchander*, Joannis Lyſchandri Frater Parochus Herföglienſis & Chriſtiani IV. Regis Hiſtoriographus cujus extat: Grönlandſke Krönicke paa Danſke Rym/ i. e. Chronica Gronlandiæ Danicis verſibus conſcripta & Hafn. 1608. 8vo edita (non in 4to ut vult. Bartholinus de Script. Dan. p. 33.) Celeberrimus

nus Torfæus de eo teſtatur, quod materia deſtitutus res Norwegicas deſcripſerit, de Grönlandia autem admodum pauca, nec præter Epiſcoporum ad certos annos redactorum Catalogum terræque occupationem, quod majoris momenti eſſet, tradiderit. Vid. præfationem Torfæi in Gronland. antiqu. pag. 5.

§. II. *ARNGRIMUS* etiam *JONAS* de Grönlandia librum latine conſcripſit, qui licet publici juris huc usque factus non ſit, interpretem tamen ante paucos annos nactus eſt Islandica lingua, & typis impreſſus promiſcue legitur. Prodiit autem verſio Islandica ab *Einaro Eiölffon* concinnata Scalholti 1688. 4to, ſub titulo: Grönlands Saga / i. e. Hiſtoriæ Gronlandiæ. Idem quoque hic Arngrimus Jonas, in libro, quem ſpecimen Islandiæ inſcripſit, multa ad hoc argumentum pertinentia, exhibuit, teſte Torfæo l. c. p. 7.

§. III. Poſt Arngrimum Gallus quidam *Anonymus* diu in Dania verſatus non ſolum antiquam illam Grönlandiam, ſed itinera etiam ad Novam Zemblam, Spitzbergam, fretumque Daviſium ſuſcepta accurate deſcripſit. Hic procul dubio liber eſt Pariſiis 1647. 8vo editus ſub titulo: *Relation du Gronland*, qui *Peyrerium* notiſſimum Præ-Adamitarum patrem, auctorem habet, quemque Germanice a ſe verſum Hamburgi (ſive ut vult Torfæus l. c. p. 19. Noribergæ) Anno 1674. 4to vulgavit *Henricus Sivers*, ſub ſequenti titulo: Bericht

von Grönland / gezogen aus Isländiſchen und Däniſchen Kronicken / übergeſandt an Monſr. de la Mothe, gedruckt in Frantzöſiſcher Sprache/ Pariſ. 1647. verteutſcht durch Henrich Sivers. Diverſa ab hac, ſi typis exſcripta eſt, erit *Relation du Grönland*, Pariſ. 1663. 8vo impreſſa, quam in Bibliotheca Hiſtorica citat Cl. Struvius p. 728.

§. IV. Nuper Grönlandiæ Hiſtoriam illuſtravit *Thormodus Thorſæus*, Hiſtoriographus Regius, qui Hafniæ edidit *Gronlandiam antiquam, ſeu Veteris Grönlandiæ deſcriptionem, ubi cœli mariſque natura, terræ, locorum & villarum ſitus, animalium terreſtrium, aquatiliumque varia genera, gentis origo & incrementa, ſtatus Politicus & Eccleſiaſticus, geſta memorabilia & viciſſitudines ex antiquis memoriis præcipue Islandicis collecta exponuntur Hafn. 1708. 8vo pagg. 369. præter dedicationem, præfat. & indicem.* In dedicatione Cl. auctor, ſcriptores tres nobis jam tum memoratos recenſet, quos tamen nihil fere adduxiſſe ait de iis rebus, quæ ad antiquum Gronlandiæ ſtatum pertinent; hæc igitur ſe ex monumentis patriis congeſſiſſe & adjeciſſe monet, idque partim ex officio Hiſtoriographi rerum Norwegicarum ſibi demandati, partim ob promiſſam Regi novam in has terras viam, quam proponit & præfectis ærarii Regii examinandam tradit. In præfatione α) ſcriptores Islandos (quibus vicinis Grönlandia primum nota fuit) enarrat, qui de hac terra quicquam attigere, & quos auctor ipſe ſecu-

tus

tus eſt. (β) Cauſas memorat omiſſæ in Grönlandiam navigationis ex Pontani Hiſtor. Dan. lib. I. nec non Lyſchandro & Huitfeldio, quibus (γ) addit numerum & enarrationem itinerum ad hæc loca inſtitutorum, denique (δ) errata horum itinerum monſtrat, compendioſioremque viam oſtendit. Ipſe liber capita XXXII. complectitur, quorum Index opuſculo præfixus eſt. Præcipue autem in his capitibus agit de ratione nominis Grönlandiæ, occaſione inventionis, inventione ipſa & inventore, primis Gronlandiæ incolis, ſitu & deſertis, monſtris marinis, conſtitutione cœli, de victu Gronlandorum, nec non de iis quæ vel Grönlandi geſſerunt vel alii in eorum terra perpetrarunt. Pergit porro deſcribere introductionem religionis Chriſtianæ in Gronlandia, iſtitutionemque Epiſcopatus in eadem, cui Catalogum Epiſcoporum Grönlandiæ ſubnectit. Denique quinque tabulas Geographicas Gronlandiæ exhibet, quarum prima eſt Epiſcopi Holenſis, Gudbrandi Thorlacii A. 1606. delineata, ſecunda per Sigurdum Stephanium A. 1570. concinnata, tertia per Jonam Gydmundum Islandum A. 1668. exhibita, quarta per Theodorum Thorlacium concinnata & quinta demum a ſe ipſo ex antiquiſſimis monumentis eruta & penicillo Jacobi Raſchii Anno 1706. expreſſa, quibus omnibus addenda quædam una cum Indice rerum memorabilium in hac hiſtoria obviarum ſubjecit.

§. V. Præter hos *JANUS MUNCKIUS* relationem itineris Grönlandici Danice conſcripſit, quæ poſt alias editiones habetur inter variorum Itineraria Francof. 1650. cum Figuris per Leonhardum Hulſium junctim edita. Inſtitutum hoc iter fuit auſpiciis & impendio Regis Chriſtiani IV. A. 1616. qui duas naves Munckio præfecto commiſit, non quidem ad inveſtigandam Grönlandiam antiquam, ſed ad fretum aliquod, per quod in Orientales terras Chatajam & Chinam, curſus inſtitui poſſet, inveniendum.

§. VI. Neque dubitandum eſt, plura etiam de Gronlandia nobis innotuiſſe, ſi *DAVIDIS de NELLE*, Ephemerides de itinere ſuo in Grönlandiam A. 1654. auſpiciis Friderici III. facto, lucem vidiſſent publicam, ſed perierunt hæ Ephemerides, prædonibusque Scotis inter plura, quæ ſecum in patriam devexerunt, in prædam ceſſerunt.

§. VII. Huc quoque facit *Rudolphi Capelli*, Profeſſoris Hamburgenſis, Orbis Arcticus, Germanica lingua Hamburgi 1675. 4to editus ſub ſequenti titulo: Vorſtellung Nordens / oder Bericht von einigen Nord-Ländern / und abſonderlich von dem ſogenannten Grönland / aus Scribenten / welche zu unterſchiedenen Zeiten gelebet / gezogen / in cujus parte II. capitibus V. deſcriptionem Grönlandiæ ſiſtit, & *Nicolai Zenii*, Nobilis Veneti, *Dithmari Blefkenii*, *Hieronymi Megiſeri* & denique *Georgii Nicolai Schultzii* narrationes de Gronlandia breviter contractas

&

& ὡς ἐν τύπῳ exhibet. Capello jungimus *FRIDER. MARTINI*, Hamburgenſem, hujus enim proſtat: Spitzbergiſche oder Grönländiſche Reiſe A. 1671. gethan / aus eigener Erfahrung beſchrieben / mit Figuren nach dem Leben abgeriſſen / Hamb. 1675. 4to. Itinerarium hocce ex Germanica lingua in Italicam translatum eſſe affirmat Cl. Struvius in Biblioth. Hiſtor. p. 728. cui etiam notabile maxime opus videtur, ſecus ac Celeberrimo Torfæo, qui de hoc æque ac de Blefkenio cenſet, effronti audacia ambos itineraria typis excuſa evulgaſſe, imo de Martino Hamburgenſi affirmat, illum iter tempore Friderici III. in Gronlandiam factum nugari, dubitatque an unquam Islandiam multo minus Gronlandiam unquam viderit. Vid. Clmus Torfæus in præfatione ad Hiſtoriam Vinlandiæ antiquæ Hafn. 1705. 8vo editam. Forſan *Cl. Struvius* loco ſupra citato Itinerarii hujus verſionem Italicam eſſe cenſet librum hunc, qui Bononiæ 1683. 12mo editus eſt Italico idiomate ſub titulo: Viaggio di Spitzberga o Gronlandia nel Italiano. Quod an veritati reſpondeat, judicent alii, quibus utraque opuſcula accuratius inſpicere licet. *Martiniani tamen itineris verſionem Batavicam* 1685. Amſtelodami in 4to editam citat Beughemius in Bibliogr. Hiſtor. p. 596.

§. VIII. Quæ porro de Gronlandorum rebus, *Daniel Fabricius*, *Dithmarus Blefkenius* & *Janus Laurentii Wolfius*, tradiderunt, ea jam

ſupra

ſupra a nobis adducta ſunt. Nihil itaque in præſenti addimus, niſi quod Cl. Gryphius in libro de Scriptor. Hiſt. ſec. XVIImi p. 537. huc quoque referat: Naukeurige Beſchryvinge von Gronland Amſtelod. 1678. 4to lingua Batavica editam, & 2. libris diſtinctam, quorum prior agit de natura & inventione veteris & deperditæ Gronlandiæ, alter de hodierna Gronlandia habitabili. Integrum deſcriptionis huius titulum ſuppeditat Beughem in Bibliogr. Hiſt. p. 635. huic addes ſi placet. *Curioſam Gronlandiæ deſcriptionem*, quam allegat Struvius l. c. p. 728. nec non ea quæ de Gronlandia pariter ac Spitzberga occurrunt in opuſculo Germanice ſub titulo: Reiſe nach Norden edito & ſupra jam memorato cap. 59. ſeq. usque ad cap. 85. Deſcriptionem Grönlandiæ, Batavica lingua editam ſub titulo: Niewe Beſchryvinge van Spitzbergen / Jsland / Grönnland / en de by gelegen Eylanden ꝛc. citat Beughemius in Bibliograp. Hiſtorica p. 621. Idem l. c. p. 378. Relationem Gallicam de Grönlandia Pariſ. 1663. 8vo editam memorat. Quibus denique addimus *Jacobi Ziegleri* Scondiam, ſive deſcriptionem, Gronlandiæ, Islandiæ, Norwegiæ & Sueciæ, quæ cum Crantzio prodiit Francof. 1575. deinde vero Tomo rerum Germanicarum Schardii inſerta eſt.

§. IX. Priusquam caput hocce claudamus, Islandorum quorundam de Grönlandiæ rebus ſcripta concinnata h. l. ex Torfæo & a-

liiſ

liis enarrabimus. Citat autem ſæpe laudatus Torfæus inter alia Islandorum monumenta: *Grænlendinga thattr* i. e. Gronlandenſium rerum hiſtoriam. Vid. Seriem Regum & Dynaſt. Dan. p. 5. Idem *BIöRNUM de SKARDZA*. Islandum, celebrem antiquarium laudat, eumque ex antiquis monumentis ex Hauki Legiferi conſummatiſſimo Originum Islandicarum libro, & variis poſteriorum temporum traditionibus conſcripſiſſe ait: *Annales ſive Collectanea Grönlandiæ* ab A. C. 1400. usque ad ſua tempora deducta. Exemplar horum Collectaneorum MStum poſſidere ſe profitetur Torfæus l. c. p. 39. & 44. Neſcio tamen an annales hi diverſi ſint ab annalibus Grönlandicis aliis ejusdem Biörni, quos paſſim alibi citat Torfæus. Vid. præf. in Hiſt. Gronland. p. 18. it. ſeriem Regum p. 493. Neque omittenda eſt *Ivaris Berii* accuratiſſima Gronlandiæ deſcriptio, cujus mentionem facit Torfæus in præfatione citata p. 22. ubi ab ipſo vocatur *Vir multæ auctoritatis*, quippe, *qui Epiſcopi redituum præfectus erat, & mulctas omneque quod ad Eccleſiæ Cathedralis, Antiſtitisque ſuſtentationem deputatum erat, exigebat. De cujus fide eo minus dubitandum eſſe cenſet, cum & ſibi nota & aliis perſpecta ſcripſerit, imo cum Islandorum ſcriptis omnino conſentientia tradiderit.* addatur ejusdem Torfæi præfatio ad Vinland. antiqu. ubi *vir rerum Grönlandicarum peritiſſimus* dicitur.

§. X. Denique ex recentioribus non defue-

fuerunt quidam, qui de illuſtrandis Gronlandorum rebus conſilium laudabiliter cœperunt. Inter hos referendus eſt *Matth. Henr. Schachtius*, Scholæ Cardemundenſis in Fionia Rector, qui Collectanea Enarrationum Hiſtoricarum de Grönlandia, cum mappis Geographicis & Hydrographicis multis antiquitatibus referta jam dudum molitus eſt. Vid. Nova Literaria Maris Balthici Anno 1698. p. 186. Simile ſaxum volvere conſtituit M. *Arngrimus Widalinus*, Islandus, Rector Scholæ Naſchovienſis Anno 1704. menſe Septembri defunctus, qui ἀνέκδοτον poſt ſe reliquit Commentarium prolixum de veteri & nova Groenlandia, quem inſcripſit: Dat gamle og Nyn Grönlands Beſkrivelſe / in tres partes diviſum, ex avi ſui Arngrimi Jonæ Commentario MSto, in Bibliotheca Academiæ Hafnienſis obvio, aliorumque relationibus congeſtum, & ex latino Danice translatum.

CAPUT VI.

DE *SCRIPTORIBUS HISTORIÆ REGUM DANIÆ NORWEGIÆQUE PARTICULARIUM.*

SECTIO PRIMA,

De

Scriptoribus Hiſtoriæ Regum Daniæ & Norwegiæ Particularium ante Familiam Oldenburgenſem.

§. I

§. I.

DIgrediendum nunc eſt ad illos Scriptores, qui particularium quorundam Daniæ & Norwegiæ Regum hiſtoriam ſingulari libro deſcripſerunt, licet a generalioribus Hiſtoriæ Regum Scriptoribus eorum quoque mentio fiat.

§. II. Faciamus initium a DANO ſecundum hypotheſin vulgarem primo Danorum Monarcha, Familiam ejus & poſteritatem deſcripſit M. *Chriſtianus Petri*, teſte Bartholino de S. D. p. 29.

§. III. Inter potentisſimos Reges, qui Ethniciſmi adhuc tempore Daniæ ſceptra geſſerunt merito referendus eſt *HROLFIIS KRAKIIS* ſive Puſio, ex Helgio, Danorum Rege Patre, & matre Yrſa, Olufæ Saxonum Reginæ & Helgii ejusdem Filia ſpuria progenitus. Hiſtoriam hujus Hrolſi Krakii Regis ex Islandico libro quodam, qui vitam ejus complectitur, ſtylo Paraphraſtico latino breviter exhibuit Cl. *Thormodus Torfæus*, in ſerie Dynaſtarum & Regg. Dan. lib. III. cap. VI. ubi tamen promiſit, ſe librum hunc integrum latine redditum aliquando editurum eſſe. Solvit poſtea hoc ſuum promiſſum Torfæus, cum anno 1705. Hafniæ in 8vo evulgaverit: *Hiſtoriam HROLFI KRAKII, inter potentiſſimos in Ethniciſmo Daniæ Reges celeberrimi, ab avo ejus Halfdano II. & Patre Helgio, hujusque fratre HROARE, ſecundum monumentorum Islandicorum manu-*

manuductionem deductam, & a fabulis, in quantum fieri potuit, vindicatam, cumque aliis hiſtoricis, imprimis Saxone diligenter collatam, & magnam partem conciliatam, cum Indice rerum memorabilium Hafn. 1705. 8vo pagg. 179. absque præfatione & Indice. In præfatione Celeberr. Torfæus monet, ſe hiſtoriam hanc latine quidem ex Islandico tranſtuliſſe; ita tamen, ut Scriptoris, quem ſecutus ſit, verba quoad fieri potuerit, expreſſerit, reſectis tamen multis, quæ in exemplari Islandico latius deducuntur. De auctore hiſtoriæ hujus, quem caput ultimum *Magiſtrum Gualterum* appellat, nihil certi ſtatui poſſe ait, probatque difficile eſſe affirmare, eum fuiſſe *Gualterium Caſtelionium*, Poetam, qui de rebus geſtis Alexandri M. libros IX. carmine ſcripſit ſeculo XIII., quos in antiquam liguam Norwegicam translatos, membranæque inſcriptos in Bibliotheca Arnæ Magnæi extare ſcribit. Porro quoque cum illis non facit, qui *Magiſtrum Gualterum*, (qui Anno 1215. Concilio Lateranenſi ab Innocentio III. celebrato interfuit) quem Torfæus *Walterum Gray* ex Epiſcopo Wigornienſi Archi-Epiſcopum Eboracenſem factum fuiſſe perhibet, hujus hiſtoriæ auctorem venditant: hoc tamen liquido conſtare affirmat, auctorem hujus hiſtoriæ licet peregrinum, muneri Eccleſiaſtico in Dania adhibitum fuiſſe, ubi horum, quæ ſcripſit, notitiam ſibi comparaverit. Pergit porro Torfæus in præfatione, & hiſtoriam hanc cum Saxo-

Saxone confert, eamque in omnibus fere cum eodem convenire probat, denique fabuloſa in hac hiſtoria occurrentia recenſet atque indigitat. Ipſa hiſtoria XXV. capitibus abſolvitur, quorum contenta enarrat Torfæus in limine operis. Ipſi etiam opuſculo adjectus eſt Index rerum memorabilium in hac hiſtoria contentarum.

§. IV. Ad Reges Daniæ ante familiam Oldenburgenſem, præter Regnerum Lodbrog, cujus Saga ſive hiſtoria MSa memoratur in ſyllabo auctorum Lexico Runico Wormian. 1650. fol. edito, præfixo, pertinet quoque *SUENO TIUFFVESKEG*, ſive *Sueno furcatæ barbæ*, qui enecato per Tokonem quendam patre Haraldo Blaatand, Regni Danici diadema capeſſivit. Hiſtoriam ejus ſive acta pacis & belli ab Anno 980. usque ad A. 1014. ex diverſis patriæ exterisque vetuſtis monumentis recenſita & Danico ſermone elaborata edere molitus eſt *Andreas Severini Vellejus*, ſive ut alii dicunt *Vedelius*. Habentur & aſſervantur collectanea ejus MSSa in Bibliotheca Hafnienſis Academiæ ceu me docent Nova Literar. Maris Balthici Ao. 1698. p. 247. Inter edita hæc collectanea perperam referuntur & Soræ 1642. 8vo vulgata eſſe dicuntur ab Alberto Bartholino de Script. Dan. p. 9. notante Clmo Mollero in Hypomnem. ad h. l.

§. V. CANUTI S. Danorum Regis vitam & hiſtoriam conſignavit *ÆLNOTHUS* Monachus Cantuarienſis. Edita hæc prima vice

eſt cura *Haraldi Huitfeldii*, Regni Daniæ Cancellarii, Hafn. 1602. 8vo. Reperit Illuſtris Huitfeldius Codicem Ælnothiani operis MSum in monaſterio Scanienſi Herridsvar dicto, quemadmodum teſtatur Lyſchander in dedicatione operis Genealogici. Eandem vitam denuo edidit notisque illuſtravit *Joh. Meürſius* Hafn. 1631. cujus editio recuſa poſtmodum eſt ibid 1657. 4to teſte Beughemio in Bibliograph. hiſtor. p. 3. (non vero Lubecæ ut vult Struvius in Biblioth. Hiſtor.) Veſtigiis ejus procul dubio inſiſtit *Andreas Angelettus*, Italus, Carmelita, Saxoniæ Provincialis, qui Italico idiomate edidit: *Vita è Miracoli de S. Canuto Martire Re della Dania* Romæ 1667. 4to. Latine quoque eodem anno prodiit ibidem ſub tit. *Vita ac miracula S. Canuti, Martyris, Regis Daniæ vel Danemarciæ, in qua ſimul Laconicè exhibetur hiſtoria ſanctitatis admirabilis, glorioſi Martyrii & heroicæ virtutis Regum ac Principum illi ſanguine conjunctorum.* Capita continet 49. & paginas 184. in fol. Ælnothiani hujus libri novam editionem, cum antiquiſſimo Codice collatam & notis perpetuis ac figuris æneis illuſtratam prælo paratam habet *Thomas Broderus Bircherodius*, Gymnaſiii Ottonienſis Profeſſor, amicus noſter ſingularis. Idem S. Canuti vitam Danicè conſcripſit in gratiam Comitiſſæ Reventloviæ, Illuſtriſſimi Comitis de Reventlow ſupremi Regni Daniæ Cancellarii conjugis, quam ἀνέκδοτον quoque huc usque premit, & in qua varia ab Ælnotho, Huitfeldio & Meurſio

ſio neglecta exhibentur, & figura ſacelli S. Canuto conſecrati comparet. Ejusdem S. Canuti vitam quoque & mortem Italice deſcripſit *Hannibal Adami*, prodiit liber Romæ 1652. 4to. *CANUTI VI* & Waldemari fratris, Canuti S. Nepotum, expeditiones & res ab A. 1199. - 1228. geſtas enarrat auctor Anonymus in Poemate vernaculo, dialecto Saxoniæ inferioris conſcripto, quod latet inter MSSa Bibliothecæ Johanneæ Hamburgenſis. Incipit Poema hoc ſequentem in modum:

Wolde my GOtt de Gnade geven
Ick wolde ſchriven aß ick funde ſchreven
Und wolde dat erſte heſen an
Wat Homodes de Dänen den Holſten hebben dhan.
Int erſte König Canutus aß ick laß
Des de leve S. Canutus ſin grote Vader waß
Darna ſin Broder König Woldemar
De brummede aß en greßlick Baar &c.

§. VI. Non alienum, ut ſperamus, h. l. erit, & eos breviter recenſere ſcriptores, qui S. *CAROLI*, Comitis Flandriæ, S. Canuti filii, vitam literis conſignarunt. Huc ſpectant *Gualtherus Morinenſis, Canonicus Tarvanenſis* cujus liber de martyrio Caroli, cognomento Boni, Canuti Regis Daniæ filii Pariſ: 1615. 8vo prodiit, item *Anonymus* de paſſione S. Caroli, Comitis Flandriæ, Canuti Regis filii, qui una cum Ælnotho de vita Canuti S. cura Joh. Meurſii prodiit Hafn. 1631. 4to. Forſan *Chriſtiani Petri* hic labor eſt, cui vitam Caroli, Ducis Flandriæ,

S. Canuti Regis filii tribuit Lyſchander teſte Mollero in Spicileg. Hypomnem: ad Bartholin. p. 11.

§. VII. De rebus Woldemari III. aliorumque Regum Daniæ usque ad mortem Chriſtiani III. extat Codex Teutonico idiomate conſcriptus in Bibliotheca Johannea Reipubl. Hamb. n. 29. 4to. Codex ſex partibus abſolvitur, prior continet novem capita, in quibus de rebus Woldemari III. Filiæque Margarethæ Reginæ, nec non Erici Pomerani, Chriſtophori III. Bavari, Regum Daniæ, & Ducis Adolphi Slesvicenſis agitur.

Pars IIda 15. cap. conſtans recenſet circumſtantias electionis Chriſtiani I. Oldenburgenſis in Regem Daniæ additque, res imperante hoc Rege geſtas.

Pars 3tia 12. cap. conſtans complectitur hiſtoriam regiminis Johannis.

Pars 4ta cap. 12. hiſtoriam Chriſtiani II. anno ætatis Vto Wiburgi in Regem electi plenius tradit.

Pars V. 8. cap. hiſtoriam Friderici I. includit.

Pars VI. cap. 15. hiſtoriam Chriſtiani III. enarrat.

Clauditur Syllabus capitum hoc verſu:

Has Regis laudes ætas ſcio nulla tacebit,
Hujus in æternos ſunt monumenta dies.

§. VIII. Reginæ *MARGARETHÆ*, Danorum Semiramidis res geſtas expoſuit *Erasmus Michaelius Lætus*, Inguerſtorpio Cimber, Dialectices

ctices & Theologiæ Profeſſor Hafnienſis anno 1582. defunctus. Conſcripſit is heroico carmine *Margarethicorum libros X. de conflictu inter Margaretham Daniæ Reginam & Albertum Regem Sueciæ*, quo Margaretæ, Danorum Reginæ auſpiciis, Albertus Megapolenſis, Rex Sueciæ captus ac regno eſt exutus, qui editi ſunt Francofurti 1574. 4to. Præter hunc Cl. Mollerus in Introduct. P. 1. p. 180. memorat ineditum *Friderici Brandii*, Sunderburgenſis, Falſtriæ Auſtralis Præpoſiti, ſcriptum vernaculum, hoc titulo inſignitum: Margaretha Königinn zu Dennemarck/ Norwegen und Schweden / und waß ſich bey deren Regierung merckwürdiges zugetragen. Taceo h. l. Encomiaſten veterem Reginæ Emmæ Canuti II. A. 1035. defuncti, conjugis, de quo nihil huc usque comperire mihi licuit.

§. IX. Qui Hiſtoriam & res geſtas Regum Norwegiæ particularium literis mandarunt, pauci admodum ſunt. Spectat tamen huc *Ericus Blodöxius*, Norweg. R. cujus laudes carmine antiquo celebravit *Egillus Scallagrimus*, ob cædem filii Regis capite plectendus, ob carmen autem hoc vita & libertate donatus, de quo conſule Arngr. Jonam Crymog. lib. 2. Geneal. 3. p. 127. ſqq. Habetur Carmen hoc latinitate donatum ad calcem Literaturæ Danicæ a Wormio Hafn. 1651. fol. editæ p. 207. ſqq. Ejusdem Egilli *Eigla* ſive hiſtoria MSa memoratur a Wormio in ſyllabo Auctorum. Lexico Runico Hafn. 1650. fol. edito præfixo Præter hunc extat *Olai I.* ſive *Olai Tryggonis* vel

Tryggvini Regis Norwegiæ vita per *Oddum Monachum* Islandico idiomate conſcripta, quam eadem lingua prelo ſubjecit *Theodorus Thorlacius*. Duabus autem partibus abſolvitur, quarum prima prodiit Schalholti 1689. 4to, ſecunda ibid. 1690. 4to. Eandem hanc vitam in hodiernum idioma Suecicum tranſtulit *Jonas Rugmannus*, Islandus, teſte Scheffero de Script. Suec. p. 306.

§. X. Ab hoc Olafo Tryggvino diſtinguendus eſt *OLAUS SANCTUS*, Tryggonis in Regno Norwegico ſucceſſor. Hujus hiſtoriam rythmis Suecicis, cum quibusdam diplomatibus & inſtrumentis Jemptiam & Norwegiam ſpectantibus edidit *Johannes Hadorphius*, Oſtro Gothus, Holmiæ 1675. 8vo. Latet quoque adhuc in Bibliotheca Collegii antiquitatum Regii, quod Upſaliæ eſt, ni fallor, *Olai Verelii* Hiſtoria S. Olai, Norwegiæ Regis, Gothica, verſione Suecico-latina & notis illuſtrata. Fragmentum tamen hujus hiſtoriæ ipſe edidit *Olaus Verelius* Anno 1665. Particulam hiſtoriæ hujus Rauds Pättur ſive hiſtoriam Raudonis dictam, MSam olim penes ſe ſervavit Cl. Wormius ceu teſtatur in ſyllabo auctorum Lexico Runico Hafn. 1650. fol. edito, præfixo.

§. XI. H*ARALDI NIGRI*, Regis Uplandorum in Norwegia veram hiſtoriam compoſuit editque *Thorarinus Ericius* Hafn. 1658. 4to. De *ILDEGERDA* autem Norwegiæ quadam Regina, extat tractatus Italicus editus ſub titulo

tulo: *Ildegerta Regina di Norvegia, overo i magnanimi amori novella Iſtorica a Berlino* 1696. 120. pagg. 180. h. e. Ildegerta Regina Norwegiæ ſive magnanimi amoris relatio hiſtorica. Conſtat partibus II. & ſcripta eſt a *Nicolao Caſanova*, qui in ejus præfatione non novum opus ſed verſionem ſaltem Italicam appellat. Omitto denique variorum Regum, Dynaſtarum & Regulorum Norwegiæ particularium vitas & hiſtorias ab Islandis concinnatas, ſed huc usque MSSas, quarum plures paſſim citat Cl. Torfæus in Serie Dynaſtarum & Regum Daniæ.

SECTIO SECUNDA.

De

Scriptoribus Hiſtoriæ Regum particularium, ſtemmatis Oldenburgici.

§. I.

INchoandus nunc eſt recenſus Scriptorum iſtorum qui particularem Regum Daniæ ex familia Oldenburgica oriundorum hiſtoriam libris particularibus ſunt complexi. Omitto enim eos qui encomia Regum Daniæ ſtemmatis Oldenburgici carmine celebrarunt inter quos facile eminent *Schmidii* ſive *Fabricii* Danaidos Partes IV. i. e. poema de Regibus Daniæ Oldenburgicis quod Sleſvici 1581. 4to prodiit. Quos ille Monarchas ligata, hos ſoluta celebrarunt *Mich. Beutherus* P. P. Argentinenſis, cujus elogia Regum Daniæ &

Rantzoviorum imaginibus eorundem decorata ſeculo ſuperiore lucem viderunt. Huic adde *Valentinum Thilonem* Lignicenſem J.U. D. cujus elogia in Icones VI. Regum & III. Rantzoviorum Baſil. 1589. 4to prodiere. Poëtis cœteroquin jungendus hic eſt *Chriſtophorus Henricus Amthor*, Conſiliarius Regius, qui nuper 1713. natalem Auguſtiſſimo Friderico IV. gratulatus eſt, in quo carmine laudes & merita Regum Daniæ ſtirpis Oldenburgicæ fuſe & magnificè expreſſit. Titulus carminis eſt: Den in allen ſeinen Zweigen verherrlichten Königlich Oldenburgiſchen Stammbaum An. 1713. fol.

§. II. *CHRISTIANI* itaque *PRIMI* vitam & res geſtas conſignarunt 1) *HARALDUS HUITFELDIUS* cujus extat Hiſtoriſke beſkrivelſe af K. Chriſtiern den Förſte i. e. Hiſtoria Chriſtiani I. Regis. Hafn. 1599. 4to & 1652. fol. edita 2) *Hermannus Hamelmannus* in Chronico Oldenburgico ſupra citato Part. III. cap. II. p. 197. -216. 3) *Johannes Meurſius*, cujus Chriſtianus Pater ſive Hiſtoria Chriſtiani I. 1630. 4to & 1638. fol. edita eſt. Plura quoque ad hiſtoriam Regis hujus ſpectantia monuerunt *Joh. Iſaacius Pontanus*, in Tomo II. Hiſtoriæ Danicæ qui MSus extat in Bibliotheca Academiæ Hafnienſis, & hiſtoriam Regum Dynaſtiæ Oldenburgicæ Chriſtiani I. Johannis, Chriſtiani II. Friderici I. Chriſtiani III. & Friderici II. complectitur. Item *Jo. Suaningius* in Hiſtoria Danica MSa tribus Tomis abſoluta, quorum ultimo vitam Chriſtiani I. Johan-

Johannis & Chriſtiani II. deſcripſit. Ad hiſtoriam Regis hujus facit etiam *Thomæ Wilhelmi* Narratio de Regum quorundam Daniæ, inprimis Chriſtiani I. religione peregrina, quam ex Lyſchandri Catalogo memorat Cl. Mollerus in ſpicileg. Hypomn. ad Bartholin. p. 49. Inter geſta, quæ regnante hoc Rege contigerunt, celebris præcipue eſt prærogativa, quam Holſatia & Stormaria, hactenus Imperii Germanici Comitatus obtinuerunt, dum An. 1474. à Friderico III. Imperatore Ducatus titulo impoſterum inſignirentur. Diplomatis hujus, quo erectio hæc Ducatus Holſatiæ continetur, editionem debemus *Henr. Meibomio* in cujus opuſculorum Hiſtoricorum Sylloge A. 1660. p. 515. ſqq. comparet, poſteaque Tomo III. Scriptorum Rerum Germanicarum ab *Henr.* Meibomio edito, inſertum eſt. Idem hoc diploma Friderici Imperatoris A. 1474. d. 14. Febr. Rotenb. ſuper Tauberam editum legitur in Illuſtris Leibnutzii Codice Juris Gentium Diplomatico T. I. p. 431. ſqq. His adde ſequentia ſcripta publica hiſtoriæ Chriſtiani I. lucem affundentia, quæ leguntur in Codice diplomatico Leibnutzii, videlicet 1) *Nicolai V. ſuſpenſio proceſſus appellationis & declaratio de non curſuris fatalibus, cum Carolus Rex Sueciæ, tanquam gravatus ad ſedem Romanam appellaſſet, quod Chriſtiernus Daniæ Rex capitulis Halmſtadienſibus ſtare nollet; & cauſa Johanni Cardinali S. Angeli Legati a latere in Germaniam & Septentrionem fuiſſet commiſſa* Romæ, Cal. April. 1451. data 2) Chriſtiernus Daniæ

Rex ſcribit Carolo Galliæ Regi prorogandam eſſe dietam inter ſe & Scotiæ Regem, coram Rege Galliæ ad controverſias eorum ſedandas, indictam, ob novum emergens, quod intervenerat, nave Islandica a Scotis intercepta. Kopenhaven Dominic. in ramis Palmar. 1457. Prius diploma legitur in Codice Leibnitzii p. 404. poſterius p. 414. Tomo np. primo. Pertinet quoque huc 3) Transactio Oldesloenſis Chriſt. I. cum Schauemburgicis pro ceſſione juris in Holſatiam A. 1460. erecta.

§. III. JOHANNIS, Regis Danorum Hiſtoriam & res geſtas exponunt *Huitfeldius* in Chronico Regis Johannis Hafn. 1599. 4to Danice edito, nec non *Herm. Hamelmannus* in Chronico Oldenb. Part. III. cap. IV. p. 217. - 224. & *Johannes Meurſius* in Hiſtoria Regis Johannis 1630. Hafn. in 4to & Amſtelod. 1638. fol. edita. Taceo Suaningii & Pontani MSSa & huc usque ἀνέκδοτα de quibus §. ſuperiore. Huc etiam ſpectat *Petri Parvi Roſæfontani*, Equitis Dani, Eloquentiæ quondam in Academia Hafnienſi Profeſſoris *Hiſtoria de rebus Johannis Regis Daniæ* Hafn. 1560. 4to & 1597. 4to edita, cui præmiſſa eſt: *Refutatio calumniarum Johannis Magni* Gothi, quibus invehitur in Danos. Quid in libro hoc comprehendatur, commode ex titulo tractatus integro perſpici poteſt, quem proinde hic exhibere non dubitavimus, cum ita ſeſe habeat: *Refutatio calumniarum cujusdam Johannis Magni, Gothi Upſalienſis, quibus in hiſtoria ſua ac famoſa oratione Danicam gentem inceſſit,*

ad

ad Illuſtriſſimum Fridericum II. Dan. & Norw. Regem ſcripta a Petro Roſæfontano , Equite Dano. Huic acceſſit Chronicon ſive Hiſtoria Johannis Regis Dan. in declarationem ejusdem refutationis , una cum ſententia illa judiciali , quam duorum Regnorum Daniæ & Norwegiæ Patres A. 1505. die Julii prima, Calmariæ contra Stenonem Sture ejusque complices tulerunt , cum Maximiliani Romanorum Regis confirmatione ab auctore olim collecta & jam recens edita. Juvat hic addere Pontani judicium , quo Petri Parvi labor hic deſcribitur & commendatur. Excerpſit hoc judicium Joh. Suaningius in Chronologia Danica p. 30. b. ubi ſic ait: *Petrus Parvus cognomento Roſæfontanus , elegantis ingenii Vir , qui res Johannis terſo dicendi genere exſecutus , etiam columnias uno eodemque volumine confutavit Johannis Magni , Gothi Upſalienſis ; quibus ille partim pravè ad ſuum ſenſum detorto Saxone Grammatico , partim invidiæ loligine incitatus , lacerare atque inceſſere Danicam gentem famoſa, ſub Gaddii cujusdam nomine , edita oratione inſtituerat. Sed ei non minus docte quam vere reſpondit Roſæfontanus , & hominis inſulſi ſordidas & aniles nænias Orbi Univerſo ſpectandas repræſentavit.* Huic autem Petro Parvo ex Suecis ſe oppoſuerunt *Janus Minor Suemenſis* , ſive qui ſub hoc nomine latet *Joh. Meſſenius* , qui Holmiæ 1611. 8vo edidit: *Retorſionem impoſturarum, quibus Suecos P. Parvus inſectatus eſt-* Eadem hæc retorſio anno ſequenti 1612. Suecicè verſa editaque in 8vo eſt ab *Henr. Chemio* , dubito itaque an fidem mereatur Catalogus Bibliothecæ Muleniànæ , qui A. 1614.

1614. in 8vo editam eſſe affirmat. Poſtea Meſſenii retorſio refutata eſt a *Willichio Weſthofio* Canonico Lundenſi, cujus expoſitio veritatis Hiſtoricæ contra Scythicam Jani Minoris in P. Parvum retorſionem ἀνέκδοτος huc usque latet inter variarum Bibliothecarum cimelia. Cœterum de ſcripto hoc P. Parvi confer. J. C. Becmanni Hiſtor. Orb. Geogr. Civil. p. m. 626. Inter publica ſcripta Johanne regnante edita eminet: Diviſio inter Johannem, Regem & Ducem Fridericum, Fratrem, Holſatiæ Ducem de A. 1483. Inter geſta Regis hujus omnino referendum eſt bellum celebre quod una cum Duce Holſatiæ Friderico A. 1500. infelici ſucceſſu adverſus Dithmarſos geſſit. Hiſtoria & deſcripto belli hujus in perpluri-mis Chronicis Dithmarſiæ MSStis comparet. Inter mea hodienum aſſervo *Johannis Detlevi*, Windbergenſis Dithmarſi, Hiſtoricam relationem de rebus & geſtis Dithmarſorum MSStam, qui autor licet in præfatione illiteratum & indoctum ſe venditet, ſingula tamen egregio ſtudio & inſigni ἀκριβείᾳ tradidit, uſus ad id, ut ipſe fatetur, ſchedis *Johannis Adolphi*, Paſtoris quondam Büſani, Scripta vero hæc narratio eſt lingua Teutonica veteri A. 1634. fol. libroque tertio hiſtoriam belli hujus fuſius depingit. Præter hunc haud pauca ad Hiſtoriam belli hujus facientia reperire licebit in Codice Germanico Bibliothecæ Hamburgenſis MSSto No. 71. fol. in quo univerſa hiſtoria una cum prolixo interfectorum in hoc bello

Cata-

Catalogo, continetur. Germanice quidem fere omnia in hoc Codice leguntur, interdum tamen & verſus latini conſpiciuntur, quibus circumſtantiæ belli præcipuæ comprehenduntur. Sic v. g. in fronte Catalogi interfectorum ſequentes evolvere licet verſus:

Anno milleno quingenteno veniebant
Hans Rex cum Danis cum Guardia non bene ſanus
Dithmariæ populum ſtudebat ſternere noſtrum,
Sed tandem dicta Danorum gens maledicta
Cecidit in campo prope Lyt pago derelicto.

Autor horum verſuum vocatur Jacobus Boetius, qui m. ſæpe in relatione MSta, quæ penes me eſt, citatur. Omitto quæ de bello hoc generatim Crantzius & Hamelmannus enarrarunt.

§. IV. *CHRISTIANI II.* Hiſtoriam cognoſcere licebit ex *Hamelmanni* Chronico Oldenb. Part. III. cap. V. p. 225--234. nec non ex Huitfeldii Chronico ſæpe laudato, cui adde *Johannis Meurſii* Chriſtianum Nepotem ſive Hiſtoriam Chriſt. II. MStam & *Pontani* Hiſtoriæ Danicæ Tomum II. itidem adhuc *ἀνέκδοτον.* Huc etiam referenda eſt *Jacobi Ziegleri,* Mathem. Prof. P. Upſalienſis relatio *de Chriſtierni II. Daniæ Regis attentatis in Succiam, & crudelitate perpetrata in proceres ejus*, quæ habetur Tomo II. Scriptor. Hiſtor. German. a Frehero Francofurti edito. Adjecta quoque eſt una cum ſua Scandiæ deſcriptione a Johanne Wol-

Wolfio, Alberti Kantzii Hiſtoriæ Regnorum Septentrionalium Francof. 1575. editæ, non Krantzii Saxoniæ ut vult Catalogus Thuanæus. Utraque ſeparatim etiam prodiit Argentinæ 1536. fol. deſcriptioni Terræ ſanctæ, Syriæ & Arabiæ ſubjuncta. Nec omittenda hic eſt: *Incerti auctoris Rerum geſtarum ſuccincta narratio, quæ in Dania & Suecia aliisque finitimis locis ab A. 1510--1520. Chriſtierno II. Rege Suecia imperante acciderunt, quibus adjecta eſt ejusdem Regis vitæ & coronationis brevis deſcriptio.* Extat apud Schardium Tomo II. rerum German. p. 84. ſeqq. Præter hos extat *Johannis Olai*, Conſulis Lincopenſis, relatio de Chriſtierni II. tyrannide, rythmis Suecicis conſcripta, quam poſtea interpolatis & correctis verſibus denuo edidit *Ericus Benedictus Schröderus*, Nycopenſis, Translator ſeu Interpres librorum Regius Holmiæ 1644, 4to. Ut ea in præſenti omittam, quæ de Chriſtiano II. & laniena Holmenſi ab eo inſtituta notavit auctor Hiſtoriæ Viciſſitudinum religionis & Imperii in Regno Sueciæ, Pariſ. 1695. in 12mo & Amſtelod. 1696. 12mo. Gallice editæ. Præ cæteris autem conferendus eſt *Johannes Suaningius*, qui edidit: *Speculum Regis Chriſtierni II. Magni, Crudelis, Infelicis, Exulis Francof.* 1658. 12mo Tractatus hic libris III. conſtat. Priori libro, qui VII. capita complectitur, Chriſtierni nativitas prodigioſa, ingenium, mores, expeditiones in Sueciam & Norwegiam, nec non iter in Belgium & connubium de-

deſcribuntur. Libro II., qui XI. capitibus abſolvitur, enarrantur Chriſtierni liberi, edicta, Foburgi & Torberni ſupplicia, expeditio navalis in Sueciam, necnon laniena Holmenſis. Libro denique tertio, capitibus IV. incluſo, Erichſonii, e Dania profugi, expeditio in Sueciam, Lubecenſium adverſus Chriſtianum II. navale bellum, nec non Regis ejusdem captivitas, mors & ſepultura referuntur.

§. V. Ad hiſtoriam Regis hujus imprimis etiam faciunt Acta publica tum temporis edita & vulgata. Inter hæc eminent 1) *Cornelii Duplicii Scepperi*, Regis Chriſtiani II. Cancellarii, & in exilio Comitis, *Reſponſio adverſus emiſſos contra Chriſtiannm II. Daniæ Regem Lubecenſium articulos, ejusce belli* A. 1524. 4to. Refutatio hæc eſt ſcripti Lubecenſis Reipublicæ nomine vulgati, ſub titulo: De Oerſaken / two de van Lübeck mit æren Verwandten / uth rechter unumgäncklicher Noth / tor Gegenwehr tegen Koning Chriſtiern ſind gedrungen / Lubecæ 1523. 4to. Idiomate Miſnico hoc Lubecenſium ſcriptum reperitur in *Johannis Petræi* Chronico Holſatiæ Part. IV. p. 144. ſeqq. Danice autem offenditur in Haraldi Huitfeldii Chronico T. VI. p. 1226. ſeqq. 2) Ejusdem *Duplicii Scepperi Reſponſio pro Rege Daniæ Chriſt. II. ad duas Epiſtolas Friderici illius patruelis, Ducis Holſatiæ, quibus rationem belli adverſus ipſum ſuſcepti, & cur eundem Regem Regnis & Ducatibus ſpoliarit, reddere conatur* A. 1524. 4to.

Fride-

Fridericus I. Patruus Chriſtiani II. A. 1523. ediderat literas binas ad Imperii Romani Electores & Principes, quibus belli adverſus Cognatum ſuſcepti cauſas iisdem expoſuit. Ad has autem literas reſpondet Scepperus in tractatu citato. Enervavit tamen & hanc Scepperi reſponſionem Fridericus I. Rex, in *Reſponſione ad Patruelem* A. 1625. 4to edita, quæ dubio procul *Petro Suavenio*, Equiti Pomerano, & Friderici I. Conſiliario tribuenda eſt juxta Huitfeldium & Vindingium. 3) *Canuti Güldenſternii*, Toparchæ Sverneſenſis & Præpoſiti Wiburgenſis *Apologia nobilitatis Danicæ contra Chriſtianum II. Regem expulſum atque captum*, in qua cauſæ præcipuæ ejus Tragœdiæ recenſentur. 4) Bulla Papæ Iulii incitatoria ad cædem Holmenſem, quæ aſſervatur in Archivo communi Sleſvicenſi. 5) Sententia Bordesholmenſis Commiſſariorum Cæſareorum de A. 1515. pro Friderico Duce Holſatiæ adverſus Chriſt. II. Nec pauca diplomata aliaque hiſtoriam Chriſtiani II. illuſtrantia offendere licebit in Codice MSto Bibliothecæ Johanneæ Hamburgenſis No. 29. in 4to.

§. VI. *FRIDERICI PRIMI* hiſtoriam qui tradiderunt, pauci admodum ſunt, vix enim de eo quædam prodita eſſe memini, præter ea quæ notarunt *Haraldus Huitfeldius* in Hiſtoria Friderici I. Hafn. 1597. 4to Danice edita, & *Herm. Hamelmannus* in Chronico Oldenb. Part. III. cap. VI. p. 235--238. *Johannis* enim

Meur-

Meurſii & *Joh. Iſaaci Pontani* Hiſtoriæ Friderici I. lucem huc usque non viderunt. Neſcio tamen utrum extet, & ab Epiſtolis binis Friderici I. Paragrapho antecedenti citatis diverſa ſit: *Friderici I. Oratio habita coram Imperatore Carolo V. in bello adverſus Patruelem Chriſtianum II., quam citat Nicolaus Petrejus in Origg. Cimbrorum & Gothorum p. 11.*

§. VII. De *CHRISTIANI TERTII* Regis vita & rebus geſtis, præter *Hamelmannum* in Chron. Oldenb. p. 341. ſeqq. *Huitfeldium* in Hiſtoria Chriſtiani III. Danice Hafn. 1595. edita, ex inſtituto commentatus eſt *Stephanus Johannes Stephanius*, *cujus Hiſtoriæ Danicæ libri II. qui res memoratu dignas complectuntur in Dania geſtas regnante Chriſtiano III. ab A. C. 1550.-1559.* obſtetricante Joh. Suaningio, Juniore, Præpoſito Samſoënſi lucem viderunt Soræ 1650. 4to pagg. 123. In dedicatione ad Fridericum III. Daniæ Regem, memorat Suaningius, Chriſtianum III. ſingulari DEI providentia ſolium Regni Daniæ aſcendiſſe. Mortuo enim, ait, Friderico I. purpurati Danorum Epiſcopi Patri ſurrogandum clamarunt Ducem Johannem, utpote Rege natum, & illius favore Anti-Chriſti Romani imperium in ſolio Danico ſtabilire anniſi ſunt; ſed Deus pro ſalute regnorum quotidie excubans, corda reliquorum ſtatus publici tutorum eo inflexit, ut ſolum Chriſtianum III. eligendum uno ore pronunciarent. Porro Suaningius Chriſtiani III. merita in Eccleſiam vel

hoc ex capite celebrat, quod abrogatis & ſede pulſis Epiſcopis Romanæ ſuperſtitioni addictis, per Bugenhagium Eccleſias reformari & ordinari paſſus ſit. Tandem Huitfeldii, Iohann. Meurſii & Stephanii labores extollit, qui in ſcribenda hiſtoria Chriſtiani III. non ſine laude operas ſuas poſuerunt. Ipſa *Hiſtoria Stephanii* libris II. includitur, quorum prior res memorabiles in Dania ab A. 1550--1555 poſterior ab A. 1555--1559. geſtas complectitur. In fine additus eſt Index auctorum, quorum monumentis uſus eſt Stephanius in conſcribenda hac hiſtoria, cui denique adjectus eſt rerum & materiarum index ſatis amplus, Alphabetico ordine digeſtus.

§. VIII. Mortem & obitum Chriſtiani III. deplorarunt ſequentes 1) *Johannes Laurentii*, Ripenſis, alias *Amerinus* dictus, cujus querela Daniæ ob mortem Chriſtiani III. Hafn. 1570. 8vo prodiit. 2) *Jacobus Bordingius*, Med. Profeſſor & Archiater Regius, cuius Oratio in obitum Chriſtiani III. Hafn. 1559. 4to & Wittebergæ eodem anno in 8vo excuſa eſt. 3) *Nicolaus Hemmingius* Theol. Prof. Hafn. qui Orationem funebrem in obitum Regis Chriſtiani III. die 13. Februarii A. 1559. recitatam, eodem anno Hafniæ in 4to edidit. 4) *Johannes Thomeus*, Paſtor Marianus Hafnienſis, cujus Oratio de Rege Danorum Chriſtiano III. Baſil. 1560. 8vo. & Francof. 1567. 8vo in Orationum funebr. Tom. III. excuſa eſt. Utrique editioni ſubjicitur *Petri*

Hege-

Hegelundii, Epicedion de Chriſtiano III. Daniæ Rege. 5) *Hieronymus Oſius*, Thuringus, qui res Chriſtiani III. geſtas metrice deſcripſit Witteb. 1563. 8vo. 6) *Jacobus Furmanus*, cujus Oratio funebris in eundem Regem 1586. 4to prodiit. 7) *Petrus Palladius*, Theol. Prof. Hafn. & Epiſcopus Sælandiæ, cujus narratio de exceſſu Chriſtiani III. Hafn. 1559. lucem adſpexit. Hanc narrationem ſub Palladii nomine a *Philippo Melanchtone* ſcriptam editamque eſſe patet ex ipſa Melanchtonis ad Chytræum Epiſtola, ubi ſe narrationis hujus auctorem profitetur. His denique adde 8) Orationes III. in obitum Chriſtiani III. Dresdæ A. 1594. 8vo prelo ſubjectas. Unicum præterea addo tractatum ad Hiſtoriam Regis hujus facientem, qui eſt *Tractatus Spirenſis* inter Carolum V. Imp. & Regem Chriſtianum Spiræ d. 23. Maji A. 1544. erectum, qui legitur in Mantiſſa Codicis diplomatici Leibnitziani p. 233. Ad Acta publica hujus Regis referimus 1) *Transactionem vel diviſionem inter Chriſt. III. D. R. & Johannem & Adolphum Fratres* de A. 1544. 2) *Unionem & communionem repetitam* idiomate Saxoniæ inferioris conſcriptam A. 1533. Bellum, a factione Wollenweberiana contra Chriſtianum III. R. D. infeliciter ac injuſſe geſtum, ejusque hiſtoriam deſcribunt ſcripta ſequentia: 1) Der Stadt Lübeck Ausſchreibung gegen König Chriſt. III. 2) Chriſtiani III. erwehlten Königs zu Dennemarck Antwort auf der Lübeckiſchen Ausſchreiben

ſchreiben 1535. 4to. 3) *Gerb. Korbmacher.* Nautæ Lübecenſis, hiſtoria Vernacula in auſpicatæ, cui interfuit, expeditionis Lubecenſium Navalis, ad Suppetias Civitati Hafnienſi, a Chriſtiano III. obſeſſæ, ferendas Anno 1535. ſuſceptæ d. 20. Nov. ab eodem ſcripta, quam Chronico ſuo Lubecenſi Spiræ 1619. fol. lingua vernacula edito p. 191--204. inſeruit *Johannes Regkmannus*, Civis Lubecenſis. Videatur Clariſſimus Mollerus in Introd. Part. IV. p. 446.

§. IX. Lubet hic adjicere Catalogum operum quorundam ineditorum & MSStorum, quæ Hiſtoriæ Chriſtiani III. egregiam profecto lucem affundunt. Inter hæc præcipua ſunt 1) *Johannis Meurſii* Hiſtoria Chriſtiani III. MSta, quæ res ab initio in Dania, regnante Chriſtiano III. usque ad A. C. 1550. geſtas, Romana facundia deſcriptas complectitur. Servavit Meurſianam hanc hiſtoriam olim in Bibliotheca ſua Laurentius Uhlefeldt, Regius in arce Stiernholmiana Præſes. 2) *Joh. Iſaaci Pontani*, Hiſt. Chriſt. III. in Tomo ejus II. Hiſt. Danicæ, qui MStus in Bibliotheca Academ. Hafn. ſervatur, comparet. 3) *Nicolai Kragii*, Ripenſis, Scholæ Oppidanæ Hafn. initio Rectoris, poſt Græcæ linguæ in Acad. Hafn. Profeſſoris, Hiſtoria Chriſtiani III. MSta memoratur Stephanio in Indice auctorum §. præcedenti citato & *Vindingio* in Academ. Hafn. p. 193. 4) *Claudii Lyſchandri*, Hiſtoria Chriſt. III. MSta, una cum ejusdem adverſariis MSStis

in

n vitam Chriſtiani tertii, memorantur Stephanio in Indice citato. Idem Stephanius c. citat 5) Diplomata varia & edicta Chriſtiani III. MSSta, nec non 6) Documenta hiſtorica varia MSSta, quæ concernunt tempora & res geſtas Chriſtiani III. in Bibliotheca Regia Hafnienſi obvia. Quibus denique) addenda eſt: *Petri Oxe*, Dani, Hiſtoria rerum Sleſvicenſium Chriſtiani III. Regis Daniæ ἀνέκδοτος, quam memorat Lyſchander n Catalogo Scriptorum Danicorum MSto.

§ X. *FRIDERICI II.* Danorum Regis hiſtoriam & res geſtas peculiari libro complexus eſt *PETRUS JOHANNES RESENIUS* Anno 1680. Hafniæ in fol. edidit librum Danico idiomate conſcriptum, cui ſequentem titulum præfixit: Kong Frederichs den Andens Krönicke / ſom var Dannmarckis / Norgis / Wendis og Gothis Konge / Hertug ꝛc. Grafe / og regierede lofligen i 29. Aar / fra Aar 1559. til Aar 1588. da hand paa Antvorſkouf Slot ſaligen i Herrn Henſöf ſammlet / og ſammenſkrevet af adſkillige Codicibus MSStis hvilcket i fortalen ſkal forklaeis pagg. 470. præter dedicationem & præfationem nec non figuris XXXI. pag. 468. indicatis, h. e. *Chronicon Friderici II. Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum & Gothorum Regis &c. laudabiliter per 29. annos regnantis ab A. 1559. usque ad A. 1588. quo in Arce Anderſcovienſi beate in Domino obdormivat, collectum ac conſcriptum ex diverſis Codicibus MSStis in præfatione adductis.* In præfatione, ad quam provocat. Cl.

Reſenius omnes eos auctores recenſet, qu
Friderici II. vitam & res geſtas ſcripto aliquc
illuſtrarunt; defendit deinde Regem contra
Boterum & Bleſkenium eorumque calumnias
poſtea præfationi ſubnectit tabellam Genea-
logicam Majorum Friderici II. a Dietericc
Fortunato Comite Oldenb. & avia Anna de
ductam. Ipſum Chronicon complectitur 1)
Actiones & vitam Friderici II. antequam re-
gnaret 2) bellum Dithmarſicum 3) Coro-
nationem 4) Res ſtatim poſt Coronationem
geſtas 5) Geſta proxime ante bellum Sue-
dicum 6) bellum contra Suecos Septennale
7) Acta poſt bellum Suecanum 8) morbum
& præparationem ad mortem, & denique 9)
ſolennia ſepulturæ. Ipſi Chronico adjunxit
Appendicem, quo varia ſcripta exhibuit, qui-
bus hiſtoria hæc egregie illuſtratur. Sunt au-
tem ea 1) Dithmarſorum reſponſio ad Regis
Friderici II. & Ducum Holſatiæ literas fecia-
les 2) Eorundem literæ ad Regem & Duces
ſupplicatoriæ pro impetrando deputatis ſuis
ſalvo conductu 3) Cantilena Dithmarſica de
Friderico II. 4) Calamitas in Suecia, duran-
te bello cum Dania, ita ut vinum in admini-
ſtratione S. Cœnæ haberi nequiverit 5) De
nobili Muſcovita eodem bello capto (Phoca
Sohropski, qui Regibus Friderico II. & Chri-
ſtiano IV. poſtea ſervivit) Slagelöſæ ſepulto,
cujus ibidem gentilia inſignia cerni poſſunt in
Epitaphio. 6) Pax Stetinenſis ex orginali
Germanice 7) *Jacobi Uhlefeldii* legatio Muſco-
vitica tempore Friderici II. (NB. prodiit hæc

antea ſub titulo: *Hodoeporici Ruthenici Francof. 1608 & 1628.* 4to, cum figuris, latine, in eoque Legatus iter, Muſcovitarum regionem, mores, religionem, regimen, & aulam deſcripſit. *Melchior Goldaſtus* tractatum hunc MStum invenit penes Pharmacopolam quendam, qui ipſum a Bibliopola Leidenſi acceperat, cui auctor imprimendum tradiderat) 8) Cauſæ, ob quas M. Jacobus Nicolai, Hafniæ decollatus eſt, 9) Literæ XII. amoebeæ Friderici II. Regis Daniæ & Henrici Regis Navarræ, (eædem antea Ultrajecti 1579. 12mo ſeparatim editæ ſunt) 10) relatio de 3. coronis, ut & de vexillo Dannebrogico in inſignibus Daniæ. Cœterum de Chronico hoc Reſenii conferatur Cl. Mollerus in Hypomnem. ad Barthol. de Script. Dan. p. 380. ubi errores Wittenii & Beughemii corrigit, quorum prior Chronicon Friderici III. appellavit, alter autem latino idiomate conſcriptum eſſe credidit.

§. XI. Ad ejusdem Regis Friderici II. hiſtoriam illuſtrandam laudabilem ſane operam contulit *Caſparus Ens*, Lorchenſis. Hic enim Francofurti A. 1593. fol. edidit: *Hiſtoriam rerum Danicarum, Friderico II. inclytæ memoriæ, rerum potiente, terra marique geſtarum, bella Dithmarſicum & Suecicum maxime memorabilia complectens, cum recenſione eorum etiam, quæ in vitam & mortem prædicti Regis inciderunt. Inſertæ ſunt tabellæ aliquam multæ in æs inciſæ, quæ ſingula hiſtoriæ capita ad vivum exprimunt & ob oculos ponunt.* Continentur vero in hoc opere 1) Hi-

ſtoria belli Dithmarſici ab Enſio metrice deſcripta 2) Extractus ex Chriſtiani Cilicii, (de quo mox plura) deſcriptione belli ejusdem 3) Hiſtoria belli Septennalis inter Fridericum II. & Ericum XIV. Sueciæ Regem ab A. 1563. usque ad A. 1570. geſti; recenſente Caſp. Enſio. 4) Panegyris metrica de ſacra & ſolenni Coronatione Friderici II. (forſan Hieronymi Oſii hic fœtus eſt, cujus coronationis Frideric. II. Hiſtoria extat etiam Tomo III. Rerum German. Schardii p. 65.) 5) Friderici II. Exequiæ Roſchildæ 1588. d. 5. Julii celebratæ 6) Johannis Lauterbachii, Jani Douſæ, filii, Petri Lindenbergii, Georgii Wip-Epermanni, Alberti Lomejeri & Caſp. Enſii, Epigrammata de rebus geſtis Friderici II. Anno præcedenti 1592. fol. ibidem typis ſeparatim excuſa.

§. XII. Huc præterea pertinent *Andr. Sever. Velleji* Chronologia rerum Rege hoc imperante ab A. 1533. usque ad A. 1588. geſtarum, quæ una cum Genealogia Regia & Oratione in Frid. II. funebri ex Eſ. 61. prodiit Hafn. 1588. 4to. item *Eraſmi Johannis Reravii* Hiſtoria Coronationis & nuptiarum Friderici II. Regis cum Sophia Regina, metro Danico exarata editaque Hafn. 1576. 8vo. Ejusdem Regis Friderici II. Hiſtoria Germanice per Jacobum Krügerum excuſa proſtat Helmſtadii 1583. 4to. Nec negligenda ſunt tria MSSta, Hiſtoriam Regis hujus tradentia, quæ ſervantur in Bibliotheca publica

:a Academiæ Hafnienſis. Primum eſt *A-:elii Güldenſternii*, alterum *Petri Hegelundii*, & tertium Anonymi cujusdam, qui ab aliis Huitfeldius ab aliis Lyſchander creditur. Huitfeldii eſſe vult Cl. Mollerus in Spicileg. Hypomnem. ad Barthol. p. 18. ubi ſic ait: *Pars ultima Chronici Huitfeldiani, ſive Hiſtoria Frid. II. cujus editio Hafniæ in Officina Georgii Lamparti A. 1658. cœpta quidem eſt, ſed vix decem quaternionibus impreſſis, cum Sueci civitatem cingerent, interrupta, αὐτόγραφος in Bibliotheca Joh. Laurentii, Grammatei Regii ſupereſt, totaque propemodum a Reſenio in Chronicon Friderici II. eſt translata.* Diſſentit tamen Cl. Reſenius in præfatione ad Chronicon, & Huitfeldii eſſe in totum negat, cum hic nunquam Chronicon ſive hiſtoriam ſuam Regum Daniæ ultra tempora Chriſtiani III. deduxerit, adeoque Claud. Lyſchandro tribuendum eſſe mavult. Noſtrum h. l. non eſt has componere lites, ſed ſaltem addimus *Petrum Spormannum*, Profeſſorem Hafnienſem, ex his 3. MSStis hiſtoriam Friderici II. aliquando meditatum fuiſſe, ut *Nicolai Eggebrechtii*, Secretarii in Cancellaria Germanica Regis Daniæ, verſionem Germanicam ex iis concinnatam & huc usque ineditam h. l. prætereàm.

§. XIII. Fridericum hunc mortuum celebrarunt quamplurimi, quos hic pro viribus recenſere animus eſt. Sunt autem ſequentes. 1) D. *Andreas Laurentii*, Profeſſor Hafnienſis, cujus Oratio in Choro Eccleſiæ

Röſchildenſis Cathedralis habita de vita & morte Regis Friderici II. prodiit Hafn. 1588. 4to adjectis carminibus latinis. 2) *Jacobus Wolffius*, Rector Scholæ Asloenſis, qui in Gymnaſio Asloenſi orationem habuit de vita & morte Friderici II., edidítque Roſtochii 1588. 8vo. 3) *Joh. Caſelius*, cujus oratio de morte Friderici II. ad Senatores Regni vulgata eſt Roſtochii 1588. 4to. 4) *Johannes Olai Slangendorpius*, Theol. Prof. Hafnienſ. cujus itidem oratio in obitum Friderici II. Hafniæ 1588. 8vo lucem adſpexit. Eadem Slangendorpii Oratio Danice a *Nicolao Johanne Saxild* verſa Hafn. 1589. 8vo prodiit. 5) *Iſaacus Gronbeccus*, Epiſcopus Nidroſienſis, qui etiam Orationem Funebrem in obitum Friderici II. vulgavit. 6) *Chriſtophorus Knopfius*, Concionator Regis Aulicus, qui Concionem Funebrem in obitum Frider. II. edidit Germanice Hafn. 1588. 4to, & quæ poſtea recuſa eſt Wittebergæ 1589. 4to. 7) *Albertus Johannis*, Epiſcopus Aarhuſienſis, cujus Oratio funebris in obitum Friderici II. ex Apoc. XIV. Hafn. 1588. 8vo vulgata extat. His adde 8) Regis Friderici ſepulturam latine Lipſiæ 1588. 4to editam, & 9) *Olai Petri* Graffſkrifft orer K. Frederich den Anden / Hafn. 1589. 4to typis exſcriptum. Porro 10) huc pertinet *Henrici Rantzovii, Pro-Regis Holſatiæ, Deſcriptio Pompæ funebris habitæ Röſchildæ in Exequiis Friderici II. Regis Dän. una cum Epitaphiis nonnullis in obitum ejusdem: adjecta eſt deſcriptio Sacelli prope Monaſterium*

ſterium Segebergenſe in memoriam dicti Regis & emolumentum pauperum Segebergenſium a Rantzovio propriis expenſis exſtructi, una cum marmorum lapidumve ejusdem Inſcriptionibus & Epigrammatibus, Hamburgi 1588. 4to. Eundem Illuſtriſſimum Rantzovium res geſtas Friderici II. juſſo ſuo a Franc. Hogenbergio cupro inciſas, cum adjunctis verſibus illas explicantibus, concinnaſſe teſtatur in Rantzoviana hypotypoſi *Petr. Lindebergius* cap. III. Denique huc referimus 11) ſcriptum vernaculum quod Lipſiæ in 4to editum eſt, ſub ſequenti titulo: Zweyerley Bericht und Verzeichniß von König Fridrichs des Andern Todt und Begräbniß. Cui denique addimus 12) Andreæ Velleji, Severini Filii, Orationem funebrem in obitum Friderici II. cum Chronologia rerum imperante hoc Rege ab A. 1533--1588. geſtarum & Genealogia Regia Haf. 1588. 4to editam.

§. XIV. Inter geſta Friderici II. memorabilia primo loco referimus, celebre illud bellum, quod una cum Ducibus Holſatiæ Johanne & Adolpho contra Dithmarſos immorigeros & pertinaces A. 1559. geſſit. Notari annus fatalis a Dithmarſis ſolet ſequentibus Chronodiſtichis

DItMarſer haben Ihre FreIheIt VerLohren/
DItMarſIæ LIbertas rVIt.

Fallitur igitur Struvius in Bibliotheca Hiſtorica, qui p. 726. bellum hoc a Rege Friderico II. contra prædictos Duces geſtum fuiſſe aſſe-

aſſeverat. Scriptores qui de celeberrimo hoc bello commentati ſunt, hactenus a me notati ſunt ſequentes 1) *CHRISTIANUS CILICIUS*, ſive qui ſub hoc nomine latere voluit Illuſtris *Henricus Rantzovius*, Johannis trium Daniæ Regum in Ducatibus Cimbricis Vicarii Filius, licet Cilicius in præfatione Itzehoæ 1569. ſcripta Henrici Rantzovii ſe domeſticum eſſe dicat, & ab illo maximam partem Hiſtoriæ accepiſſe. Falluntur itaque Jac. Aug. Thuanus, Caſp. Sagittarius & alii, qui Johannem Rantzovium opuſculi hujus auctorem venditant, notati proinde a Cl. Mollero in Introd. Parte IV. p. 630. Evulgavit autem hic Henricus *Veram belli Dithmarſici Anno 1559. geſti, deſcriptionem libris II. comprehenſam*, in cujus libro I. ſtatus Europæ antiquior, qualis fuit A. 1559., cum Cimbriæ tum Dithmarſiæ breviter exponitur, in ſecundo autem res in ipſo bello geſtæ prolixe atque accurate enarrantur. Prodiit deſcriptio hæc ſeorſim Baſileæ 1570. & Argentinæ 1574. 8vo, necnon cum Chronico Rerum Borealium Krantziano, Francof. 1575, & 1583. fol. impreſſo. Corrigendus itaque eſt *Catalogus Thuanæus*, qui librum hunc Cilicii cum Krantzii Saxonia impreſſum eſſe perhibet. 2) *Anonymus*, cujus extat tractatus vernaculus ſequenti titulo inſignitus. Wahrhafftige Verzeichniß des Krieges / welchen Fridericus II. König in Dennemarck / und Joh. und Adolphus, Hertzoge zu Holſtein A. 1559., wider die Dithmarſer geführet. Prodiit 1569.

4to

4to & auctor ejus vulgo creditnr *Johannes Rantzovius*, Cimbriæ noſtræ Pro-Rex, notante Cl. Mollero l. c. 3) *Hieronymus Oſius*, (non Haſius ut vult Struvius Bibl. Hiſtor. p. 114.) qui bellum hoc metrice deſcripſit, rogatus, ut id faceret, a Proceribus & conſilariis Regni Daniæ, cum eo tempore Hafniæ commoraretur, quo Friderici II. coronatio facta eſt. Prodiit poëma ejus latinum, quo bellum hoc deſcripſit, Wittebergæ 1599. nec non in Tomo III. Rer. German. Schardii. Germanice quoque Witteb. 1560. 8vo editum eſt, ſub tituloſ: Wahrhafftige und gründliche Beſchreibung des Dithmarſer Kriegs und der Krönung Friderici II. 4) *Caſparus Ens*, Lorchenſis, cujus hiſtoriam belli Dithmarſici carmine deſcriptam jam ſupra memoravimus. 5) *Nicolaus Fedderus*, Præpoſitus in Mœna Inſula, qui Poema de eodem bello Dithmarſico conſcripſit, quod ineditum huc usque latere ait Lyſchander in Catalogo Scriptorum Danicorum MSto. 6) *Johannes Detlevus*, Windtberga Dithmarſus, qui in Chronico Dithmarſico MSto, quod penes me ſervatur, libro VI hiſtoriam belli hujus fuſius deſcripſit, omniaque diplomata & inſtrumenta publica huc pertinentia ſedulo collegit, quæ forte in Codice Diplomatico Saxon. Inferioris a me propediem edendo comparebunt. Taceo generaliora, quæ de hoc bello notarunt, *Johannes Pomarius*, *Erpoldus Lindebrogius*, *Kellinghuſius*, *Hamelmannus*, & alii paſſim.

§. XV. Ad res Friderici II. pertinet etiam bellum Septennale inter Fridericum II. & Ericum XIV. & Johannem Sueciæ Reges ab A. 1563. usque ad A. 1570. geſtum. De bello hoc legi meretur, Hiſtoria belli Septennalis inter Res Danicas a *Caſp. Enſio* editas obvia, cui adde *Johannis Laurentii Amerini*, Eclogam de fœdere inter Fridericum II. & Johannem Sueciæ Regem, Wittebergæ 1573. 8vo editam, item *Axelii Güldenſternii*, Bellum Suecicum Regis Daniæ Friderici II. teſte Alb. Bartholino de Script. Dan. Hafniæ Danico idiomate excuſum. Dubito tamen de libri hujus editione cum inſpicere hactenus mihi non licuerit. MStum tamen deſcriptionis hujus belli Güldenſternianæ exemplar ſervatur apud Cl. *Thomam Broderum Bircherodium* ſequenti titulo inſignitum: Ene ſande / og wahrhafftige Hiſtorie om den Krieg og langwerdige Friede / ſom ſig begynt hafver og ſtande ii mange Aar imellem Dannemarck og Sverrig af Axel Guldenſtern in Folio. Taceo *Jonæ Turonis*, Canonici Lundenſis, Annales belli Suecici a Friderico II. Rege Daniæ geſti, quos MStos citat *Andreas Sever. Vellejus* in Promo Condo. Præter hos hiſtoriam belli hujus exponunt ſcripta publica a Clariſſimo Mollero Introd. P. IV. p. 447. recenſita, quæ hic repetere non pigebit. Sunt vero illa 1) Abdruck des Königl. Däniſchen und Lubeckiſchen Abſags-Brief wider den König von Schweden / Hafn. 1563. 4to. 2) Des Raths zu Lübeck wahrhafftige

und

und beſtändige Urſachen / warum ſie / als dazu genothdränget / in itzt-erwehnten Defenſions-Krieg wider die Königl. Würde zu Schweden ſich begeben müſſen / auch Ablehnung aller Beſchuldigungen / ſo ihnen deswegen von hoch-gedachter Königl. Würde / auch ſonſt ihren Widrigen zugemeſſen werden / Lubecæ. 1564 4to. 3) Der Lübecker Bericht gegen die Schweden / ibid. 1566. fol. 4) Transactio Stetinenſis inter Frider. II. R. D. & Johannem III. R. S. & Civitatem Lubecenſem A. 1570. inita, latinitate donata a Joh. Meſſenio, Supr. Sued. Dicaſterii adſeſſore Holmiæ 1611. 4to. Quibus denique addo Hiſtoriam veram ac ſinceram belli inter Danos & Suecos per multos annos geſti, quod inceptum eſt A. 1563., quæ inter Codices MStos Bibliothecæ Johanneæ Hamburgenſis latet No. 28. 4to.

§. XVI. Imperium Friderici II. nobilitavit etiam Actus ſolennis Inveſtituræ Ducatus Slesvicenſis, cujus Feudum A. 1580. IV. Non. Maji, Johanni Seniori atque Juniori & Adolpho Ducibus Holſatiæ a Friderico II. Ottoniæ in Fionia collatum eſt. Pompam & actum hujus inveſtituræ Germanico idiomate depinxit *Jacobus Krögerus*, Eiderſtadienſis, Diaconus in Civitate Hamburgenſi Jacobæus Ao. 1582. defunctus, ſub hoc titulo: Hiſtoria von dem herrlichen Triumph und Ehren-Tage / ſo durch Friedrich den Andern / Könige zu Dennemarck / und Herrn Adolph, und Herrn Johann den Jüngern / Hertzoge zu Schleßwig-Holſtein / zu Odenſee

ſee in Fünen. d. 3. Maji A. 1580. iſt gehalten/ ſamt allen Umſtänden und Gelegenheit beſchrieben 1580. 4to. Huic addimus *Andr. Vellejum*, Theologum Ripenſem & Hiſtoriographum Regium, cujus *Oratio Panegyrica Friderico II. Daniæ Regi, cum Ottoniæ, in publicis Regni Comitiis d. 3. Maji A. 1580. Feudo Ducatus Sleſvicenſis Illuſtriſſimos Holſatiæ Duces ſolenni ritu inveſtiret, oblata*, Hafniæ 1580. 4to excuſa eſt.

§. XVII. Acta publica Hiſtoriam Regis Friderici II. illuſtrantia pauca proſtant. Pleraque edita enumeravit Cl. Mollerus in Indrod. P. I. p. 140. & Part. IV. p. 447. addimus tamen his: 1) *Prætenſionem Archi-Epiſcopatus Bremenſis in Dithmarſiam*, quæ habetur apud *Gaſtelium* de ſtatu Europæ p. 254. 2) Friderici II. Königs in Dennemarck Vertrag mit denen Hanſee-Städten und Wendiſchen Städten zu Odenſee 1560. aufgerichtet/ Lubeck 1646. 4to. 3) Documenta Juris Holſatiæ in Dithmarſiam, quæ habentur apud Gaſtelium l. c. pag. 632.

§ XVIII. *Johannis* Principis, Regis Friderici II. Filii natu minimi, in Muſcovia d. 28. Octobr. A. 1602. exſtincti & Slavoddæ d. 25. Novembr. ſepulti merita & laudes celebrarunt M. *Johannes Lundius*, Flensburgenſis, defuncti Principis Concionator Aulicus, in ſermone funebri, in ejus exequiis habito & Roſtochii 1613. 8vo excuſo, nec non *Anonymus* in tractatu Hamburgi 1603. 4to lingua vernacula edito, quem inſcripſit: Wahrhafftige und kurtze Relation von der Reuſiſchen Muſcovitiſchen

vitiſchen Reiſe/ und Einzugs Johannis aus dem Königl. Däniſ. Stamm / und ſeiner Schwachheit und ſeligem Abſchiede daſelbſt.

§. XIX. Tangit nunc ordo *CHRISTIANUM IV.*, Daniæ Regem, de cujus vitæ & Hiſtoriæ Scriptoribus paucis quoque h. l. agendum erit. Inaugurationis & Coronationis ejus hiſtoriam tradiderunt *Auguſtus Erici*, Regis Chriſtiani IV. in Cacellaria Germanica Secretarius, Hafn. 1597. 4to. Eandem Danico idiomate deſcripſit *Andreas Benedictus Dallinus*, Concionator Aulicus qui Hafn. 1598. 4to edidit librum ſub titulo: Beſkrivelſe om Kong Chriſtian IV. Kongelige Krönung A. 1596. af den Kongelige Maytt. tydſan Secretaire Aug. Erichs, fordanſket og med Krönung-Ceremoniers udleggelſe/ ſom den ord fra ord udi Kircken bles handelt formehrt wed K. Maytt. Danſke Hof-Prediger Andr. Bened. Dallin, i. e. *Auguſti Erichs deſcriptio inaugurationis Chriſt. IV. Danice reddita & additis ceremoniis a verbo ad verbum in templo peractis aucta per A. B. Dallinum.* His adde *Johannis Sadolini* Carmina de coronatione Chriſtiani IV. Hafn. 1597. 4to excuſa, item *Petri Hegelundii*, Epiſcopi Ripenſis Homagium Chriſtiano IV. præſtitum Hafn. 1610. 4to typis exſcriptum, *Iohannis Mariæ Noſſenii* ſcriptum vernaculum, ſub titulo: Tugendbergs auf die Krönung Chriſtiani IV. Hafniæ 1596. 4to editum, nec non *Chriſtiani Hunnonis* relationem de coronatione Chriſtiani IV. a Clmo Reſenio in Inſcriptionibus Hafn. p.

298. citatam. Ejusdem quoque argument eſt MStum, quod poſſidet Cl. *Thomas Broderus Bircherodius*, quod ſequenti gaudet titulo: Beſchreibung / was für Fürſtl. Perſonen und Geſandten bey der Königl. Crönung 1596. geweſen / nebſt einem Bericht von denen zu der Zeit gehaltenen Tourniren und Ringelrennen. Ut auctoris Anoymi hiſtoriam Inaugurationis Chriſtiani IV. Hafn. 1632. 4to & Comœdiam vetuſtam in electione Chriſtiani IV. A. 1584. habitam & 1585. impreſſam h. l. taceam.

§. XX. Regem hunc ſuperſtitem adhuc celebrarunt 1) *Nicolaus Kragius*, Ripenſis, P. P. Hafnienſis in *Panegyrico, cum Novum Auditorium Academicum dedicaretur ei A. 1601. dicto* Hafniæque excuſo. 2) *Iohannes Wowerius*, Hamburgenſis, Johannis Adolphi, Ducis Holſatiæ, Conſiliarius Intimus, in *Panegyrico, Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi Chriſtiano IV. Regi Daniæ & Norwegiæ ſcripto, cum Majeſtati ejus S. P. Q. Hamburgenſis homagium præſtaret.* Prodiit Panegyricus hic Hamburgi 1603. 8vo recuſus poſtea Hanoviæ 1613. 8vo Tomo I. Orationum ad Pontifices, Imperatores & Reges gratulatoriarum. Styli hujus Panegyrici nimiam luxuriem plurimi notarunt eruditi, quorum loca exhibet Cl. Mollerus in Introduct. Part. I. p. 186. ſeqq. Prohibitum etiam eſt a Senatu Hamburgenſi, ne Oratio hæc publice diſtraheretur, antequam primæ ejus pagellæ recuderentur, rati quippe, offendi quædam in ea, quæ in Civitatis præjudicium trahi poſ-

ſent.

ſent. Ipſe Wowerius ea de re conqueritur in Epiſtola ad Johannem Wittenium, quæ legitur Centuria II. Epiſtolarum, Epiſtola 74. & 81. pagina nempe 354. & 366. 3) *Iohannes Ravius*, Profeſſor Soranus, in Oratione gratulatoria ad Chriſt. IV. de anno climacterico feliciter exacto Hafn. 1640. fol. edita. 4) Anonymus in der Anländung Chriſtiani IV. in Engeland A. 1606. geſchehen 1607. 4to. 5) *Chriſtianus Andreæ*, in Oratione in reditum Chriſtiani IV. Hafn. 1644. 8vo vulgata.

§. XXI. Mortuum Regem Chriſtianum IV. laudarunt quamplurimi. Inter hos in præſenti notamus 1) *Laurentium Martini Scavenium*, Theol. Prof. Hafn. & Epiſcopum Sælandiæ, cujus Oratio in obitum Chriſtiani IV. Hafn. 1648. lucem vidit 2) *Caſpar. Eraſmum Brochmandum*, itidem Theol. Prof. Hafn. & Sælandiæ Epiſcopum, cujus oratio in funere Chriſtiani IV. ibid. 1649. fol. prodiit. 2) *Iohannem Suaningium*, Iuniorem, qui ideam boni Principis in mortem Chriſtiani IV. vulgavit Hafn. 1648. 4to. 4) *Petrum Windſtrupium*, Filium, Phyſices Profeſſorem Hafn. & Epiſcopum Scaniæ Lundenſem, qui Regem Danorum Davidicum, ſeu orationem in funere Chriſt. IV. Hafn. 1648. fol. edidit. 5) *Iohannem Steinmannum*, in Juſtis funebribus Chriſtiani IV. 6) *Laurentium Iacobi*, Fioniæ Epiſcopum, in ſpeculo Principis vitæ & mortis in obitum Chriſt. IV. Hafn. 1649. 4to typis exſcripto. 7) *Fridericum Rhederum*, Wilſtrienſem, in O-

ratione de Chriſtiano IV. Angelo Daniæ tutelari Lipſ. 1674. impreſſa. His denique adde 8) Academiæ Soranæ Orationem in exequias Chriſtiani IV. Soræ 1648. fol. excuſam, cujus auctor eſt *Nicolaus Aagardus*, Eloquentiæ Profeſſor Soranus. Juſtam etiam Auguſtiſſimi Regis Chriſtiani IV. molitus eſt, ſæpiusque promiſit Biographiam *Petrus Lambecius*, Vindobonenſis Bibliothecæ quondam cuſtos & Conſiliarius Cæſareus, ſed ejus ſpes mortuo Lambecio, jam dudum evanuit. Simili inſtituto hiſtoriam Chriſtiani IV. a Coronatione ejusdem usque ad obitum ipſius variis tractatibus incluſit, filioque Regi Friderico III. MStam tradidit *Andr. Matthias Hiöringius*, Paſtor Hafnienſis, ceu ipſe teſtatur in dedicatione ad Chriſtianum V. Regem, Coronæ ejus Caſtrenſi mox memorandæ præfixa. Cœterum de laudibus & rebus geſtis hujus Monarchæ plura cecinerunt Poetæ Dani, quorum nonnullos evolvere licet in Tomo I. Delitiarum Poetarum Danorum a Frider. Roſtgardio, Lugd. B. 1693 edito, pagina videlicet 8.-27. &c.

§. XXII. Inter res geſtas a Chriſtiano IV. memorabile imprimis eſt bellum cum Imperatore Anno 1627. & ſequentibus geſtum, in quo milites Cæſarei Holſatiam noſtram intrarunt & fere depopularunt. Ad Hiſtoriam hujus belli facere ait Cl. Mollerus, *Chriſtiani de Pura*, hominis mendaciſſimi & maledicentiſſimi ſcriptum, quod Lubecæ 1627. 4to ſub

ſequen-

ſequenti titulo prodiit: *Claſſicum Paciferum Daniæ, quo VIII. Rationes ſuggeruntur, cur cum Chriſtiano IV. Rege Daniæ, ejusque filiis, S. Cæſareæ Majeſtati non niſi armis pax ſit ferienda.* De hoc ſcripto quid ſtatuendum ſit, breviter jam tum notavit Cl. Mollerus in Introd. P. I. p. 142. Idem Cl. Mollerus MStum ſe vidiſſe aſſerit, a *Martino Coronæo*, Juniore, Paſtore Eccleſiæ Flintbeckenſis prope Kilonium exaratum, cui Autor ſequentem Ironicam inſcriptionem ſive titulum præfixerat: *Opus Supererogationis militum Pontificiorum*: Uberflüſſige gute Wercke der Papiſtiſchen Krieges-Leute / nachdem ſie daß Land Holſtein A. 1627. überfallen und ausgeplündert / und viele unmenſchliche Thaten begangen; Inſonderheit / was ſie vor Hoſtilitäten und Schandthaten in den neutralen Fürſtlichen Landen / wider gegebene Aſſecuration und Salve-Guarde, verübet. Præter hos tractatus a Mollero citatos de bello hoc conferri merentur ſcripta ſequentia 1) Diſcours und Erinnerung von des Königs in Dennemarck und des Nieder-Sächſiſchen Crayſes Krieges-Verfaſſung 1626. 4to. 2) *Dicourſus Politico Juridicus de armorum inter Cæſarem Ferdinandum II. & Daniæ Regem Chriſtianum IV. ſtatusque circuli Inferioris Saxoniæ juſtitia* 1628. 4to. 3) *Pax Lubecenſis* de Anno 1629. Ut ea hoc loco taceam quæ de hoc bello notarunt Scriptores belli Tricennalis a *Nicolao Bello* collecti & Francof. 1632. 4to editi.

§. XXIII. Neque minus celebris eſt Tempeſtas bellica inter Chriſtianum IV. Daniæ Re-

Regem & Chriſtinam Sueciæ Reginam Anno 1643. & ſeq. exorta. De bello hoc peculiari libro commentatus eſt *Johannes Henr. Bœclerus*, hujus enim extat: *Hiſtoria belli Sueco-Danici, opus poſthumum ex auctoris Autographo editum*, Holmiæ 1676. 4to & *Argentorati* 1679. 8vo pagg. 392. Summaria & contenta Rerum quæ hoc libro deſcribuntur ſingulis libris (quorum ternarius eſt numerus) præfixa ſunt, ita ut facile cognoſci poſſint, nec ut hic fuſius enarrentur, neceſſe ſit. Unicum ſaltem hoc addimus, majorem in Bœclero candorem Danos requirere, ipſum enim a ſtudio partium liberum neutiquam eſſe, ex ipſa tractatione libri facile patebit, ſed mirandum id magnopere non eſt, cum conſtet Bœclerum a Chriſtina Suecorum Regina ſtipendia meritum fuiſſe. Reliqua ſcripta publica, hiſtoriam hujus belli tradentia, recenſuit Cl. Mollerus in Introd. Part. I. p. 146. ſeqq. cui tamen hic addimus 1) Urſachen des neuen Däniſchen Krieges mit Schweden / ſive Manifeſtum Regis Daniæ 1644. 4to. 2) Refutatio der Däniſchen Urſachen/ Belgice, Lugd. B. 1645. 4to. 3) Teutſch Geſpräch von der Schweden invaſion in Holſtein und Dennemarck 1644. 4) Diſcurſum an Sueci Danos rite invadere potuerint 1644. 4to. 5) Copiam Schreibens eines vornehmen Schwediſchen von Adel / worinnen der Cron Schweden ſeithero geführte / noch führende und vorhabende Conſilia und Deſſeins wegen des langwierigen teutſchen und angefangenen Däniſchen Krieges entde-

ntdecket werden / Francof. 1644. 4to. Latine etiam exſtare legiſſe me memini, annum tamen editionis ut & locum in præſenti definire non licet. 6) Danici cujusdam Miniſtri fidelis relationem ad Regem, ſuper hodierno rerum ſtatu 1645. 7) Amici ad Amicum Epiſtolam de ſtatu tractatuum pacis 1645. 4to. 8) Neuen Däniſchen und SchwediſchenMercurium, Mercurii Amandi Philalethæ 1645. 4to. 9) Pacem Bremſebröenſem de A. 1645. in Gaſtelii ſtatu Europæ p. 225. obviam. 10) Pacem Dano-Belgicam apud eundem Gaſtelium l. c. occurrentem. 11) Literas Gallicas legati Gallici, Claudii de Meſmes, (Comitis d' Avaux) ad Regem Daniæ circa tractatus pacis A. 1642., quæ literæ latine quoque prodierunt Amſtelodami 1642. 4to & quibus nonnulla Acta publica tractatum pacis univerſalis Cæſarem inter & Regem Galliæ concernentia adjiciuntur. Denique in Bibliotheca Academiæ Hafnienſis vidiſſe me memini IV. Volumina in 4to. varios tractatus de bellis Dano-Suedicis ab Anno 1610. usque ad A. 1660. continentia, ſed quæ in iis ſingulariter contineantur ſcripta, deſcribere eo tempore mihi non licuit, non dubito tamen quin varia huc ſpectantia comprehendant; quibus omnibus de bello cum Suecis A. 1611. geſto, addenda eſt *Bartholi Canuti Aquilonii*, declamatio Polemica de auſpiciis ſecundis & ſucceſſu deſiderato Danicæ in Sueciam expeditionis ſub Imperatore Auguſtiſſi-

mo Chriſtiano IV. Hafn. 1644. vulgata, item Relatio hiſtorica de diuturno inter Chriſt. IV. Daniæ & Carolum IX. Sueciæ Regem bello, Danice per *Ægidium Laurentii*, Archi-Decanum Ripenſem, conſcripta, quam MStam penes ſe ſervat Cl. Thomas Broderus Bircherodius. Omitto alia Acta publica Hiſtoriam Chriſtiani IV. mirum quantum illuſtrantia, ut ſunt v. g. *Hamburgenſia* de quibus conf. Mollerus in Introd. Part. IV. p. 557. *Lubecenſia*, de quibus videndus idem l. c. p. 449. *Schaumburgenſia*, & *Sleſvicenſia* quorum recenſum ſiſtit laudatus Mollerus l. c. Part. I. p. 153. & 141.

§. XXIV. *CHRISTIANI V.* Regis Chriſtiani IV. filii Principis Danorum electi, ſed præmature extincti Hiſtoriam illuſtrant 1) *Claudii Chriſtophori Lyſchandri* Udvelelſes og Hyldings Hiſtorie af Chriſtian V. i. e. *Electionis Chriſtiani V. Hiſtoria*, Hafn. 1623. 4to edita. 2) *Anonymi* Triumphus Nuptialis Danicus Printz Chriſtiani Vti und Magdalenæ Sybillæ aus Sachſen Hafn, 1635. ſive ut vult Catalogus Bibl. Mulenianæ A. 1648. vulgatus, quibus; 3) addimus *Willichii Weſthovii*, Cimbri, Comitis Palatini & Equitis Poëmation in feſtum connubiale quod Sereniſſimus Princeps Chriſt. V. Daniæ Norwegiæque Rex deſignatus cum Sereniſſima Principe Magdal. Sybilla celebrat Portuæ Danorum 1634. 4to editum. Præmaturum Principis hujus exceſſum defleverunt 1) *Alberti Bartholini*, Panegyricus in obitum Chriſtiani Daniæ Principis Hafn. 1648

1648. fol. exſcriptus, quem laudat & vehementer ſibi arriſiſſe ait *A. Vorſtius* in Epiſtola ad Thomam Bartholinum Cent. II. Epiſt. Medicarum No. V. p. 430. obvia. 2) *Cornificii Trollii*, Nobilis Dani, Equitis Dannebrogici & Conſiliarii intimi Regii Parentatio Daniæ Principis Chriſtiani Soræ 1647. fol. edita. 3) *Petri Winſtrupii*, Junioris, Leſſus Synodicus in obitum Chriſtiani Principis Hafn. 1647. 4to emiſſus. 4) *Caſp. Eraſmi Brochmandi*, Oratio in obitum Principis ejusdem Hafn. 1648. 4to vulgata. 5) *Johannis Suaningii* Laudatio funebris ejusdem Principis ibid. 1648. excuſa. Denique his jungendus eſt. 6) *Jacobus Wellerus*, qui ſermonem funebrem in obitum Chriſtiani Principis Germanice imprimi curavit Dresdæ 1647. & poſtea Danice idem ſermo translatus prodiit Hafn. 1648. Cui tandem addes 7) *Gothofredi Gæſii*, defuncto Principi a ſacris Aulicis, Klag-Predigt über ſeinen Tod ex Syrachi cap. XXXVIII. commate 16. & 17. propoſitam & Dresdæ 1647. 4to typis exſcriptam. Ejusdem Regis Chriſtiani IV. filii natu minimi Principis *Huldarici* Epiſcopatus Suerinenſis adminiſtratoris, illuſtris Strigilis Vitiorum Hafn. 1631. editæ auctoris, in Sileſia A. 1633. globo trajecti, laudes enarrarunt quamplurimi, quorum operas ex Molleri Introd. Part. I. p. 190. ſeqq. hic recenſebimus. Sunt vero: 1) *Martinus Opitius*, cujus laudatio funebris memoriæ ejus dicata Francofurti primum ſeorſim A. 1633. 4to, &

N 5 poſtea

poſtea in *Guil. Bateſii* Syntagmate Biographico Londini 1681. edito vulgata eſt. 2) *Caſp. Eraſmus Brochmandus*, cujus oratio funebris Hafn. 1634. 4to lucem vidit. 3) *Joh. Meyerus*, Ripenſis, qui manes Uldarici ſive Parentalia in obitum ejus vario carminum genere publicavit Hafn. 1634. in 4to, & denique 4) *Nicol. Saſſius*, Haderslebienſis, Præpoſitus in Fionia Asnenſis, cujus Threnodia memoriæ Uldarici conſecrata Hafniæ 1633. 4to typis exſcripta eſt.

§. XXV. Chriſtiano IV. Parenti in Regni utriusque ac Ducatuum Regimine ſucceſſit *FRIDERICUS III. Princeps*, Mollero teſte, *eruditiſſimus, & eruditorum omnium amantiſſimus, dignusque proinde cujus memoriam, quotquot Muſarum caſtra ſequuntur, æternum venerentur, & nunquam intermorituris cohoneſtent laudibus.* Inaugurationis & coronationis Regis hujus hiſtoriam haurire licebit ex variorum Orationibus hac de re habitis & evulgatis. Tales ſunt 1) *Caſp. Eraſmi Brochmandi* Coronatio Friderici III. Danice deſcripta Hafn. 1650. 4to. 2) *Alberti Bartholini* Oratio Gratulatoria ad Fridericum III. Daniæ Regem Hafn. 1649. fol. 3) *Erici Erici Pantoppidani*, paſtoris primum Coagienſis, deinde Theol. D. & Epiſcopi Nidroſienſis in Norwegia, Panegyricus in Coronatione Friderici III. R. D. Hafniæ 1648. fol. 4) *Johannis Rhederi* Applauſus Gratulatorius in auſpicia Friderici III. Hafn. 1648. & denique 5) *Chriſtiani Jani Jerſini*, Hafnienſis

Jani Dionyſii Jerſini, Epiſcopi Ripenſis, filii Oratio gratulatoria Syriaca in auſpicia imperii Fridericii III. Witteb. 1649. 4to edita. Quibus 7) addes *Angeli Lucii Græſſeri*, Homagium Friderico III. præſtitum, quod Hafniæ 1648. 4to typis exſcribi curavit. In hoc homagium Poema ſatis elegans compoſuit *Jacobus Henricus Pauli*, Simonis Filius, Philoſoph. Prof. Hafn. quod excuſum eſt Hamburgi 1660. fol. Eidem debemus Panegyricum, quo Auguſtiſſimo Regi Friderico III. natalem ſexageſimum & felicitatem publicam gratulatur Hafn. 1668. fol.

§. XXVI. Poſthumis FRIDERICUM III. Regem laudibus ornarunt 1) *Bartolus Bartholinus*, Eloquentiæ Profeſſor Hafnienſis, & Regis Frid. III. antiquarius, cujus laudatio funebris Frider. III. Hafn. 1670. fol. prodiit. 2) *Chriſtianus Pauli*, cujus Dania Lugens, ſeu Epicedion in obitum Friderici III. Helmſtadii 1670. fol. excuſum eſt. 3) *Matthias Foſſius*, qui ſacratam Palladem in funere Friderici III. conſcripſit. 4) *Vitus Beringius*, qui memoriam Friderici III. publicavit Hafniæ 1670. fol. 4) *Balthaſar Sechmannus*, cujus oratio in exceſſum Friderici III. Lugd. B. 1670. fol. lucem publicam adſpexit. 5) *Johannes Wandalinus*, Junior, Sælandiæ Epiſcopus, qui memoriam glorioſam Auguſtiſſimi Monarchæ Friderici III. Oratione funebri, in templo arcis Regiæ, coram Rege filio, ipſo exequiarum die 5. Non. Maji æternitati conſecratam publica-

vit

vit Hafniæ 1670. 4to, & tandem 6) *Janus Petri*, qui vernaculo idiomate edidit Danmarckis Begrådelſe over Frider. III. i.e. Lachrymas Regni Daniæ ad tumulum Friderici III. Hafn. 1670. 12mo.

§. XXVII. Inter res imperante Rege Friderico III. in Dania memorabiliter geſtas notanda inprimis eſt decantatiſſima *CORNIFICII UHLEFELDII* ſupremi quondam Aulæ in Regno Daniæ Magiſtri (Grand Maitre du Royaume) hiſtoria. Scripta hiſtoriam hanc deſcribentia & illuſtrantia, ſequentia hactenus a me notata ſunt: 1) Bericht von Dina Winhovers und Jürgen Walthers Sache / ausgeführt in Copenhagen 1651 4to. 2) Chriſtoph Krauthoffs Bericht/ wie er unſchuldig von Friderico III. mit Gefängniß belegt 1651. 4to. 3) Ehren-Verantwortung Corfitz Uhlefeldts wider Dina und Walther 1652. 4to. Eadem hæc Apologia eodem anno latine in 12mo edita eſt, nec non Batavice ſub titulo: Afgedrongene Verantwordinge van Corfitz Uhlefeldt. 4) *Cauſæ, quæ Daniæ Regno (ad tempus) excedere cumpulerunt & coëgerunt Cornificium Uhlefeldium, Magiſtrum Palatii Regni Daniæ.* Scriptæ ab ipſo Uhlefeldio den 12. & 14. April. 1652. cum Strahlſundiæ degeret. 5) *Cornificii Uhlefeldii Machinamenta*, latine in 12mo. Auctor creditur *Iacobus Henr. Paulli*, Archi-Atri filius, teſte Gryphio de Script. Sec. XVII. p. 540. Forſan e latino Danice verſa ſunt hæc Machinamenta, extant quippe Danice: Corfitz Uhlefeldts liſtige Practiken/

ctiken/ ſine anno & editionis locoin 12mo excuſa. 6) Adelens underdanigſte Declaration til Hanß Kongelige Majeſtat af Dennemarck imod Corfits / tilforne Kalled Grafve af Ulfeld Hantz falſke angifvende Hafn. 1663. 4to i. e. Nobilitatis Danicæ humillima declaratio ad Regem Daniæ, qua Cornificii, quondam Comitis ab Uhlefeldt criminationes deteguntur & enarrantur. Præter ſcripta modo adducta de Uhlefeldii fatis quædam notavit illuſtris *Puffendorffius* de rebus geſtis Caroli Guſtavi, Suecorum Regis Norinb. 1696. fol. ex quibus Commentariis pauca repetunt Acta Eruditorum 1697. menſe April. pag. 190.

§. XXVIII. Res in Dania tempore Friderici III. ante bellum cum Suecis geſtas, juſſu Petri Seguierii, Galliæ Cancellarii, diligenter notavit *LINAGE de VAUCIENNES.* Extant hujus *Memoires de ce qui s'eſt paſſé en Suede & aux Provinces voiſines depuis l' A. 1645. jusqu' en 1655.* Colon. 1677. 12mo 3 Voll. Complectitur hic Commentarius elegantiſſimus per modum Diarii ea, quæ legatus Gallicus *Chanut*, integro decennio cum Suecis tractavit, vel ab iis geſta obſervavit, unde & hic libellus a nonnullis ſub titulo: *Negotiations de Chanut*, allegatur.

§. XXIX. Pergimus nunc ad Scriptores illos, qui bellum Suecico-Danicum a Friderico III. Annis 1657. & 1658. geſtum, usque ad pacem Röſchildenſem, deſcripſerunt. Inter

ter hos eminet 1) Auctor Anonymus J. G. K. qui Amſtelodami 1650. edidit librum, cui titulus: *Sedes & origo belli Dano-Suedici*, oder Kurtze Beſchreibung der Mitternächtigen Königreichen/ Dännemarck/ Norwegen und Schweden. Liber hic XII. abſolvitur capitibus, quorum contenta hic exhibere non injucundum, ut ſperamus, erit. *Capite Imo* Daniæ magnitudo, fertilitas, potentia nobilitatis, urbes & arces, vires terreſtres & marinæ, religio & Regum ſucceſſio breviter deſcribuntur. *Caput II.* Sueciæ ſitum, nobilitatem, fortes urbes, vires, religionem & ſucceſſionem exhibet. *Caput III.* Norwegiæ ſitum & fertilitatem, nobilitatis, civium & ruſticorum ſtatum, fortalitia, vires, reditus, Politiam, religionem, ſcholas & præſens regimen adumbrat. *Caput IV.* antiqua bella ante Unionis trium regnorum tempora, geſta, tractatus etiam pacis breviſſime recenſet. *Caput V.* Bella Reginæ Margarethæ cum Alberto Sueciæ Rege repræſentat. *Caput VI.* bella Chriſtiani I. & Johannis contra Carolum Canuti & Stenonem Sture enarrat. *VII.* Bella inter Regem Johannem & Suantorem. *VIII.* Bella inter Chriſtianum II. & Stenonem Sture, item hujus cum Carolo Guſtavi controverſias tradit IX. Bellum Friderici II. cum Erico Sueciæ Rege, *X.* Chriſtiani IV. cum Carolo IX. *XI.* Ejusdem cum Chriſtina Regina & *XII.* Friderici III. bellum cum Carolo Guſtavo ejusque cauſas & initia usque ad expugnatam Fridericiam

dericiam deſcribit. Porro ad hiſtoriam belli hujus ſpectant. 2) Anoymus G. G. N. P. ſive qui ſub his literis initialibus latet, Georgius Greflinger, Notarius Publicus Hamburgenſis, qui Anno 1658. 8vo edidit: Anzeigung der Krieges-Händel / die ſich zwiſchen den Dänen und Schweden zugetragen. 3) *TERLONIUS*, Eques, Regis Chriſtianiſſimi ad Daniæ, Sueciæ, & Poloniæ Reges ab A. 1656. usque ad A. 1661. legatus. Is enim, ut & hiſtoriarum civilisque prudentiæ cupidis conſuleret, & Regi ſuo muneris ſimul rationem redderet Commentarios prudentiſſime conſcripſit, qui ſub titulo: *Memoires du Chevalier de Terlon* Pariſ. 1681. 8vo lucem adſpexerunt, & res hoc bello memorabiliter geſtas Tomo I. p. 71. usque ad finem hujus Tomi, necnon Tomo II. p. 1. ſeqq. complectuntur. Videantur de his Commentariis Acta Erudit. Lipſ. A. 1682. p. 382 & celeberrimi Joh. Burcardi Menckenii ſchediaſma de Commentariis Hiſtoricis, quos Galli memoires vocant Lipſ. 1708. 4to editum p. 36. 4) Anonymus in Hiſtoria belli Dano-Suedici A. 1657--1660. geſti, Anglice Londini 1666. fol. edita, ut *Petri Winſtrupii* Thaumaſia belli Sueco-Danici, h. l. taceam. Plura quoque ad hiſtoriam belli hujus facientia congeſſit *Petrus de Lange* in libro Batavico: Sueetſe Wapenen gevoert in Polen, Pruyſen, en Dennemarcken inſcripto & Amſtelodami 1660. 12mo cum Figuris æneis vulgato.

§. XXX.

§. XXX. Huc quoque reponimus ſcripta publica, quæ cauſas hujus belli & res in eo geſtas fuſius exponunt. Horum non pauca congeſſit Cl. Mollerus in Introductione ſæpius laudata Part. I. p. 149. quæ h. l. additis compluribus aliis repetere non pœnitebit. Sunt autem iſta 1) *Jus feciale armatæ Daniæ, addita brevi delineatione graviſſimarum cauſarum, quibus S. R. M. Daniæ & Norwegiæ injecto neceſſitatis telo impulſa, Regi Carolo Guſtavo & Regno Sueciæ poſt intolerabiles injurias & damna illata, ſpretasque a Suecis æquiſſimas pacis conditiones, bellum terra marique indicit* Hafn. 1657. d. 1. Junii. 2) Manifeſt, aus was Urſachen Ihr. Königl. Maytt. zu Dennemarck / Norwegen ſich / ihre Reiche und Länder / wider König Carl Guſtav zu Schweden ꝛc. zu ſchützen / und von ſo vielfältiger Zunöthigung / Drangſalen / Beſchwehrden / auch offt angedroheter Gefahr zu erretten / die in göttlicher / weltlicher und aller ehrbaren Völcker Rechten erlaubte Defenſions-Waffen zu ergreiffen / und würcklich fortzuſetzen / genöthiget worden / lateiniſch / teutſch und Däniſch / Kopenhagen 1657. mit Beylagen A--L. 3) Beantwortung und Widerlegung zweyer Däniſchen Schrifften / des Juris fecialis Armatæ Daniæ und des vermeinten Manifeſts, Gryphiswald 1657. 4) Schwediſche Beantwortung auf die Däniſchen Mandata und Univerſalia, ſo in den Hertzogthühmern Bremen und Verden / und an anderen Oertern ausgebreitet ſind 1657. 5) Schreiben der Königl. Maytt. in Schweden an

den Churfürſten zu Maynz / und andere des Heil. Römiſchen Reichs Churfürſten / aus Stetin d. 7. Julii A. 1657. aus dem Lateiniſchen Original ins Teutſche überſetzet. 6) Copia Schreibens des Schwediſchen Reſidentens zu Franckfurt Snoilsky an die daſelbſt anweſende Churfürſtliche und Stände Abgeſandten und Deputirten / betreffend die Däniſchen Proceduren gegen Ihr. Königl. Maytt. in Schweden im Herzogthum Bremen 1657. 4to. 7) Diſcours zwiſchen einen Holländer und einen Dännemärcker über den Zuſtand gegenwärtiger Zeiten; aus dem Holländiſchen ins Teutſche verſetzet 1657. 4to, 8) *Boni civis ad cives fidelis admonitio de neceſſitate conjunctionis claſſis Belgicæ & Danicæ* Hafn. 1657. 4to lat. Dan. Auctor eſt *Gundæus Roſencrantzius*, Senator Regni Danici, ceu conjicere licet ex literis initialibus G. R. K. unde & ipſi admonitionem hanc tribuit Bartholinus de Script. Dan. p. 30. 9) Hollandſk Pratjen vom Nordiſchen Kriege gehalten zwiſchen Peter Janſon / Kauffmann / und Mag. Peer / Feld-Predigern. Auctor eſt *Joh. Balthaſ. Scuppius*, qui ſcriptum hoc primum ſeparatim emiſit 1657. Deinde operibus ſuis inſeri curavit 1659. 8vo. Πολυπραγμοσύνης eum ob ſcriptum hoc vulgatum notam mereri ait Cl. Mollerus in Introd. Part. I. p. 150. 10) *Inſtrumentum pacis*, oder Friedens-Pacta zwiſchen Dännemarck und Schweden / durch Interpoſition und Unterhandlung der Frantzöſiſch- und Engliſchen Legaten den 26. Februar. 1658. zu

Röſchilde getroffen / von beeden Potentaten und beyderſeits Reichs-Räthen confirmirt / auch kurtz darauf in Copenhagen ſolenniter ausgewechſelt. Extat inſtrumentum hoc tum ſeparatim, tum in Gaſtelii Statu Europæ p. 241. ubi & articuli ſecretiores offenduntur.

§. XXXI. Poſtquam pax hæc Roſchildenſis inter Danos & Suecos compoſita eſſet, Sueci pro conſueta ſua in Danos perfidia non multo poſt pacem hanc adeo ſolenniter ſancitam fregerunt, Daniamque denuo infeſtarunt. Rupturam hanc injuſtiſſime factam eſſe plurimi ex ſcriptoribus Danis demonſtraverunt, reclamantibus licet Suecis. Notari hac de re merentur ſcripta publico nomine edita, quorum brevem hic exhibeamus Catalogum. Sunt autem 1) Kurtzer aus den Actis und Protocollis gezogener Bericht/ was nach dem Röſchildiſchen Frieden und Copenhagenſchen Tractaten / bis auf die Belägerung von Copenhagen und Cronenburg, paſſiret/ Hafn. 1658. Danice, latine & Germanice. Prolixum ſcripti hujus titulum latinum videre licebit apud Cl. Mollerum l. c. p. 149. 2) *Expoſitio cauſarum, quibus S. R. M. Sueciæ, bellum a Rege Regnoque Daniæ ſibi illatum, etiam poſt pacem Röſchildenſem continuare coacta fuit* 1658. 4to lat. & German. additis documentis complurimis. 3) Wahr- und Gewiſſenhaffter Unterricht / dadurch die Expoſitio und Erörterung der Urſachen / warum der Krieg nach dem Roſchildiſchen Friden noch weiter ſoll fortgeſetzet ſeyn/

ſeyn / aus eigenen Schwediſchen Worten / Beylagen und Autoren gründlich widerleget wird / durch Philanthropum Veronenſem Hafn. 1659. 4to. 4) *Tela Suecici aranei, injuſtitiæ armorum prætexta, in expoſitione cauſarum, quibus S. R. M. Sueciæ bellum a Rege Regnoque Daniæ ſibi illatum, etiam poſt pacem Roſchildiæ initam continuare coacta fuit S. R. M. Daniæ juſſu a Fideli ac bono patriæ Cive diſrupta* Hafn. 1660. 4to. Auctor ſcripti hujus eſt Gundæus Roſencrantzius ſupra memoratus, teſte Bartholino l. c. Eidem debemus. 5) *Speculum Fidei Danicæ & perfidiæ Suecicæ* Hafn. 1659. 4to editum. Porro huc pertinent. 6) *S. R. Majeſtatis Sueciæ binæ Literæ priores ad S. R. M. Chriſtianiſſimam, & poſteriores ad Generales Ordines fœderati Belgii, continentes cauſas expeditionis in Scelandiam contra Regem Daniæ* d. 21. Aug. A. 1658. 7) *Epiſtola Regis Sueciæ Caroli Guſtavi ad P. P. Fœderati Belgii de recuperando cum Danis fœdere, recenſita & illuſtrata* 1658. 8) Antwort-Schreiben an den Königl. Schwediſchen Rath Cojet, betreffend die Auslegung der vorgegebenen Urſachen/welche S. K. M. zu Schweden ad reaſſumtionem armorum zu einem nie erhörten Friedens-Bruch gegen Dännemarck angetrieben hätten 1659. 4to. 9) Wahrhafftiger Bericht und Abdruck der Schwediſ. Ruptur und Friedens-Bruch / fürnemlich im Fürſtenthum Holſtein, Glückſtadt, 1658. 4to. 10) *Epiſtola Amici ad Amicum de cauſis renaſcentium diſſidiorum Sueco-Danicorum* Hamburgi 1658. lat. & Germ. 11) Antwort eines guten Freun-

des auf dieſes Sendſchreiben 1659. 4to lat. & Germ. 12) Copia Schreibens der Königl. Dännemärckiſ. Regierung zu Glückſtadt an die Röm. Kayſerl. Maytt. wegen der Schwediſchen Ruptur des Röſchildiſchen Friedens 1658. 13) Einfältige Gedancken über die zwey Fragen 1) Ob die Hoſtilitäten nach dem Roſchildiſchen Frieden ein gantz neuer Krieg / oder Continuation des vorigen / und wer der eigentliche Anfänger ſey. 2) Welcher Theil an Nicht-Vollziehung des Roſchildiſchen Friedens ſchuldig 1659. defendit Suecorum perfidiam adverſus Danos. 14) Abdruck eines Schreibens Ihr. K. M. in Schweden an die hochmögende General-Staaten 1658. breviter exhibet cauſas belli poſt pacem Roſchildenſem redintegrati. 15) Privat-Schreiben / worinnen gewieſen wird / daß der Kayſer / Pohlen / Dännemarck und Brandenburg wol befugt ſind / Schweden allenthalben zu bekriegen / zu beſtreiten / und zu einem ſicheren Frieden zu nöthigen / datirt Warburg d. 1. Aug. 1659. 16) 2. Memorialien von dem Frantzöſiſchen und Engliſchen Ambaſſadeurs an die Hr. Herren General-Staaten / betreffend den Krieg zwiſchen den Nordiſchen Königen d. 30. Novembr. A. 1658. 17) Diſcours oder hochnöthige Erörterung der Frage / ob die zu Franckfurt vorm Jahr gemachte Alliance etlicher Chur- und Füſten des Reichs mit Franckreich und Schweden / ſolche Aliirte / wenn Dennemarck / wegen letzteren Friedens-Bruch / die Schwediſchen Provincien im Reiche angriffe / Schweden zu adſiſtiren verbunden /

den/oder vielmehr Dennemarck als einem Friedbrüchig überzogenem Theile / Stand des Reichs/ und Glied des Nieder-Sächſiſchen Crayſes 1659. 4to. 18) Brandenburgiſche Propoſition an Holland / wegen der Frantzöſiſchen / Engliſchen und Holländiſchen Miniſters Abrede / zu Beylegung der zwiſchen den Nordiſchen Königen verſierenden Zweyſpalt 1659. 4to. 19) Vortrag und Schluß des Frantzöſiſchen / Engliſchen und Holländiſchen Geſandtens d. 21. Maji A. 1659: Zu Befoderung eines ewigen Bündniſſes und Vereinigung beyder Könige in Dennemarck und Schweden. 20) Hiſtoriſche wahrhaffte und ausführliche Beſchreibung / was in denen Friedens-Handlungen in Dännemarck bis anhero vergelauffen / mit Beylagen 1659. 4to. 21) G. R. K. (i. e. *Gundæi Roſencrantzii*) *Diſſertatio Juridico-Politica, de Legato Suedico, durante obſidione Hafnienſi a Rege Daniæ jure detento Hafn. 1659. 12mo.* 22) Mercurii Europæi divinatio de pace Septentrionali 1661. 23) *Pax Hafnienſis* de Anno 1660. quæ reperitur apud Gaſtelium de Statu Europæ p. 247. ſeqq. & *Joh. Loccenium* in Hiſt. Suec. p. 933. ſeqq.

§. XXXII. Deſcriptio obſidionis Hafnienſis eodem bello Suecico intentatæ plurimorum etiam calamos exacuit, ita ut multi accuratiorem ejus hiſtoriam exponere & ob oculos ſiſtere aggreſſi ſint. In horum numerum referendi præ aliis ſunt ii, qui dictam obſidionem ex inſtituto deſcripſerunt, quos inter eminent 1) *Vitus Beringius*, cujus Obſidio Haf-

 nienſis,

nienſis, & eorum, quæ ea durante illuſtri per Septentrionem contigere ſtricta enarratio Hafn. 1676. 4to lucem adſpexit. 2) *Anonymus* qui Danico idiomate Diarium obſidionis Hafnienſis edidit Hafn. 1658. 4to. 3) *Henricus Matthiæ Wallensbeck*, cujus Diarium obſidionis Hafnienſis metricum latino Danicum prodiit ibid. 1660. 4to. 4) *Anonymus* alter, qui obſidionem Hafnienſem cum prælio ad Oreſundam Hagæ Comitum 1662. 4to deſcripſit, cui 5) addimus *Andr. Matthiæ Höringii* Cimbri, Paſtoris Ptochotrophii Hafnienſis die 23 Decembr. 1679. ætat. 70. extincti. Leyers Krans Hvorledis den Allmanctigſte Gud Som Mirakel uns ved Kiobenhafn udi beleyringen opholdt Danmarckis Crone for Kongelige Huuß af Oldenburgiſke Stamme. i. e. Coronam Caſtrenſem, de miraculoſa domus Regiæ & Metropolis Hafnienſis in obſidione Suecica conſervatione, cujus tertia jam editio Danice lucem vidit Hafniæ A. 1700. 8vo. prior, ni fallor, edita eſt ibid. 1677 8vo. ſimilis fere argumenti eſt ejusdem Leyers Politia det er hvad Skick og Ordnung udi Kiobenhafn er holden fra den 11 Aug. 1658. der Beleyring begyntiß ind til den 11. Febr. 1661. i. e. Politia Caſtrenſis monſtrans formam regiminis & defenſionis durante obſidione a die 11. Aug. 1658. usque ad 11. Febr. 1661. uſurpatam Hafn. 1661. & 1677. 8vo. Nec parum ad hiſtoriam obſidionis Hafnienſis faciunt *Hieronymi Weitzii*, Eloquent. Prof. Sorani, Panegyricus Friderico III. dictus & Hafn. 1660. fol. vulgatus, item *Henrici Ernſtii*

Pane-

Panegyricus Friderico III. dicatus, ibidemque eodem anno in folio editus, nec non *Chriſtiani Oſtenfeldii*, Medicinæ Prof. Hafn. & Academiæ Bibliothecarii, Palladium Danicum, ſeu Panegyricus ſolenni ſervatæ Urbis feſto pronunciatus, impreſſusque Hafn. 1661. fol. Quibus omnibus denique addimus ſcriptum Danicum quod Hafn. 1659. 4to prodiit ſub titulo: Relation om den Svenſce Storm til Kiøbenhaven.

§. XXXIII. Ad hiſtoriam FRIDERICI III. pertinet etiam maxime memorabile factum, quo funeſtiſſimi belli terrore penitus diſſipato profligatoque, Regni, qui tum erat, Senatus populusque univerſus communi ordinum conſenſu in Regem Frider. III. & deſcendentem ab eo æterna ſerie progeniem contulerunt ſupremam & legibus ſolutam poteſtatem, omniaque Regalia Majeſtatis jura ac abſolutum Dominium, hæreditario & vere abſoluti Monarchæ titulo ac Jure poſſidendum & tenendum. Videri hac de re poterit: *Statuum Danicorum declaratio de regno electivo in ſucceſſivum mutando*, quæ reperitur apud Gaſtelium de Statu Europæ p. 258. ſeqq. cui addes exemplum ſcripti, quo Regni Daniæ Ordines Regnum Daniæ hæreditarium declaraverunt, quod legitur in *Olai Roſencrantzii*, Apologia Nobilitatis Danicæ p. 107. ſeqq. de qua infra pluribus agemus. Huc etiam ſpectat *Eraſmi Bartholini*, Medicinæ & Mathem. Profeſſoris Hafn. *Monumentum lætitiæ in memoriam religio-*

nis olim reſtitutæ, regnique Daniæ hæreditatis Auguſtiſſimo Regi Friderico III., ejusque poſteris utriusque ſexus nuper oblatæ, oratione Jubilæa expreſſum Hafn. 1660. 4to. De *Lege Regia*, qua Regiminis forma, hæredumque in id ſucceſſio & pupilli Regis tutela, regnorumque eo intervallo adminiſtratio ordinatur, a Rege Friderico III. lata & promulgata, infra ad Sectionem de Legibus & Jure Danico fuſior erit dicendi locus.

§. XXXIV. Antequam Hiſtoriam Frider. III. claudamus, de tractatibus inter dictum Regem & Ordines fœderati Belgii erectis quædam adjicienda erunt. Conſuli autem de iis poterunt ſcripta publica ſequentia. 1) *Defenſiv Alliance en van redemtie der tollen tuyſchen Dennemarck en de Staaten*, Middelburg 1650. 2) *Tranſactio nautica Dano-Belgica*, quæ reperitur ap. Gaſtelium l. c. p. 273. 3) Tractat einer Defenſiv-Alliance zwiſchen dem König von Dennemarck / General-Staaten, Chur-Brandenburg und Braunſchweig-Lüneburg geſchloſſen den 26. Octobr. 1666. Danice & Germ.

§. XXXV. In tempora Frid. III. etiam incidit bellum Dano-Anglicum, inter Frid. III. & Angliæ Regem ideo exortum, quod Rex Daniæ Fridericus claſſem Hollandicam divite præda onuſtam, ſed ab Anglis inſectatam, & per procellam in portu Norwegiæ Bergenſi appulſam, ſuſceperit & adverſus Anglos tuitus fuerit. De bello hoc commentatus eſt *Oroſius Annilo*, ſive qui ſub hoc nomine latet

Vitus

Vitus Beringus, cujus extat: *Diſſertatio de bello Dano-Anglico deque diſſenſionum inter geminos populos contentionumque cauſis. Imprimis autem de iniquitate Anglici ſcripti, quo in denuncianda hoſtilitate & gentium perpetuas conſuetudines, & ſupremam per Orbem Majeſtatem violarunt.* Juxta exemplar Pariſiis impreſſum in 4to plagg. conſtat 16. Quid in ſcripto hoc præſtiterit Beringus, omnium optime exponit Th. Bartholinus diſſertat. II. de legend. libr. p. 40. ubi ait: *illum Regis ſui Majeſtatem & Jura, rerum & verborum ingenti pondere eſſe tuitum.* Idem hoc bellum breviter deſcribitur in P. II. Der Durchleuchtigen See-Helden dieſer Zeit in vita Michaelis Adriani de Ruyter p. 273. ſqq. Huc etiam ſpectat: *Pax Dano-Britannica* de A. 1667. quæ obvia eſt in *Gaſtelii* Statu Europæ p. 270. Cui addi poterit Traité de Paix entre les Couronnes de France & d' Angleterre & entre celle de Dennemarck & d' Angleterre Pariſ. 1668. 4to. Vid. Beughem. in Bibliogr. Hiſtor. p. 380. Danice pacis Conditiones bellum hoc concernentes editas memini ſub ſequenti titulo: Forbunds-Artikle imellem Kong Friderch dem Tredin af Dannmarck / og Kong Carl dem Ander af Engelland Hafn in 4to 1662.

§. XXXVI. Denique huc referendi ſunt Scriptores, qui de binis Friderici III., (cui ſe aſſociavit Chriſtianus Albertus Dux Gottorpienſis) controverſiis inteſtinis, cum Joachimo Erneſto, Duce Holſato-Plönenſi, egerunt, ſed quoniam ſcripta ea a Clariſſimo Mollero

in Introd. P. I. p. 155. ſeqq. jam tum adducta eſſe meminimus, nos Lectorem in præſenti illuc ablegamus. Addimus tn. actis hujus Regis publicis: Acta Gluckſtadienſia d. 12. Octtobr. 1667. inter Frider. III. & Chriſtianum Albertum erecta.

§. XXXVII. Auguſtiſſimi Monarchæ *CHRISTIANI V.* glorioſiſſimæ memoriæ vitam & res geſtas conſignarunt non pauci. In quorum numerum jure referendi erunt 1) *Joh. Wandalinus*, qui *Inaugurationis & unctionis Chriſtiani V. Regis Daniæ Fridericoburgi d. 7. Junii A. 1671. celebratæ & a ſe peractæ veram deſcriptionem* Danico-Latinam edidit Hafn. 1671. 2) *Ivarus Hertzholmius*, Hiſtoriographus Regius, qui eandem unctionis hiſtoriam metro Danico delineavit Hafn. 1671. 4to. 3) *Wilhelmus Wormius*, Conſiliarius Regius & Bibliothecarius, cujus Panegyricus in inaugurationem Chriſtiani V. 1671. dictus MStus extat in Bibliotheca Academ. Hafnienſis. 4) *Chriſtianus ab Eitzen*, Holſatus, cujus extat: Fridericus III. in Chriſtiano V. redivivus, i. e. applauſus Academicus, quo Sereniſſimo ac Potentiſſimo Regi Chriſtiano V. publica oratione ipſo unctionis die, qui erat 7. menſis Junii A. 1671. in Academia Julia gratulari debuit, Helmſtadii 1671. 5) *Henricus Bornemannus*, Seelandiæ Epiſcopus, qui Panegyricum ſuum, quo Regi Chriſtiano V. natalem 49. Anno 1695. d. 15. April. publico Academiæ nomine gratulatus eſt, typis ſubjecit Hafn. 1698. fol. Huc etiam

tiam ſpectat maledicentiſſimum *Molesworthii*, Regis Anglorum Wilhelmi III. in Aula Danica Legati, ſcriptum, quod *ἀνωνύμως* primum Londini lucem vidit ſub titulo: *An Account of Dennemarck, a it was in the Year*, recuſum poſtea Gallice Nancii 1694. ac Amſtelodami 1695., Belgice autem Roterod. 1694. & Germanice 1695. 4to, ſub titulo: Dennemarcks gegenwärtiger Staat unter der nunmehro ſouverainen Regierung Chriſtiani V. &c. Narrationes falſas & inſulſas nec non criminationes mendaciſſimas in hoc libro obvias jam tum notarunt ſcripta bina Anglicana Lond. 1694. *ἀνωνύμως* etiam edita, & Gallice 1695. Germanice autem Coloniæ (ut titulus venditat) 1696. 4to recuſa, quorum primum ſub titulo: *Dennemarck vindicated*, alterum vero ſub titulo: *The Common-Wealthsmann unmasqued, or a Juſt Rebuke of the Account of Dennemarck* lucem adſpexit. His adde ea quæ contra nugas hujus auctoris, genti Danicæ impoſitas & inſimulatas regesſit Cl. Mollerus in præfatione de gentium Borealium in literas meritis, Bartholiniano de Script. Dan. operi præfixa p. 18. ſeqq. Cui addatur & auctor Memoriarum Gallicarum Chriſtiani V. in præfat. ubi Moleſworthium ſtatus Regni Danici parvam aut omnino nullam notitiam habuiſſe, ſed vindictæ ſaltem & odii cauſa relationem ſuam de Regno Daniæ conſarcinaſſe, aſſerit.

§. XXXVIII. Facta Heroica & Illuſtria a Chriſtiano V. perpetrata præcipue exponunt ſcripta ſequentia: 1) *Henrici Thomæ Gerne-*

ri, Epiſcopi Wiburgenſis Ulyſſes & Ilias Chriſtiani V. metrice, Danico idiomate ſcripta, quarum prior 1681. fol. altera 1685. fol. prodiit, & complectitur omnia prælia tam terreſtria, quam navalia a Chriſtiano V. durante bello Scanico cum Suecis comiſſa, necnon expeditiones in Holſatiam & Wiſmariam urbem. Pars Iliados ſecunda præclare geſta tempore pacis Auguſtiſſimi Regis enarrat, quorſum Gernerus refert exſtructiones fortalitiorum, necnon egregios labores, quos Potentiſſimus Rex in ordinando Jure Danico conſumpſit, aliaque his ſimilia. 2) *Thomæ Bartholini Panegyricus ad Chriſt. V. de Wandalica victoria & expugnatione Wiſmariæ* Hafn. 1676. fol. 3) *Memoires de Dannemarck, contenant la vie & le Regne du defunt Chriſtierne V. Roy de Dannemarck &c. avec une exacte relation de la ſource & du progres des differens, qui regnent aujourdhui entre les deux Maiſons de Dannemarck & de Holſtein-Gottorp, & des circonſtances les plus remarquables de ces differens. Le tout tiré de lettres & de Regiſtres authentiques avec les copies des Traitez de Fontainebleau & d'Altena & de Pinneberg. Traduit de l'Anglois* a Utrecht 1701. 8vo pagg. 242. In præfatione huic tractatui præmiſſa teſtatur auctor, ſe magna ex parte opus hoc conſcripſiſſe, ut calumnias Molesworthii, imperitiſſimi & impudentiſſimi hominis, quibus famam Glorioſiſſimi Principis proſcindere auſus fuiſſet, refutaret: Memoriis ipſis præfigitur Introductio ad hiſtoriam Regni

Dani-

Danici, in qua hiſtoria hujus Regni a Chriſtianiſmi in eam Introductione usque ad tempora Chriſtiani V. Regis velut ἐν συνόψει traditur. In hac ipſa Introductione probat, Regnum Daniæ a tempore Sigfridi, (qui A. C. 800. regnavit) usque ad tempora Margarethæ Reginæ, adeoque per 600. annorum ſpatium fuiſſe hæreditarium, nec unquam Status Regni de Jure eligendi Regem ſibi vindicando cogitaſſe. Introductione finita Memoriæ X. capitibus comprehenſæ leguntur, quorum ſummaria hic breviter exhibere non inopportunum erit. *Caput I.* Faciem Regni Daniæ repræſentat eo tempore, cum Chriſtianus V. ſolium aſcenderit. *Caput II* Originem controverſiarum & diſſenſionum inter Regem Danorum & Ducem Holſatiæ indigitat. *Cap. III. IV.* & *V.* cauſæ harum controverſiarum & rupturæ inter prædictas domus exponuntur. *Caput VI.* Hiſtoriam belli inter Chriſt. V. & Carolum XI. Regem Sueciæ ſiſtit. *VII.* Deciſionem controverſiarum inter Regem & Ducem exhibet, additis pactis & ſanctionibus pacis Fontis Bellaquei, Altonavienſis & Pinnebergenſis. *VIII.* Hiſtoriam obſidionis Hamburgenſis narrat. *IX.* Controverſias recentiores inter Chriſt. V. & Ducem Holſatiæ Fridericum agitatas memorat, denique *X.* Chriſtiani V. characteres animi & Familiæ Regiæ Hiſtoriam refert. Fatendum eſt de his memoriis, eas ſingulari ἀκριβείᾳ & veritatis ſtudio nitide conſcriptas eſſe,

ita

ita ut auctor earum titulum ſinceri ſcriptoris & hiſtorici jure mereatur. Porro huc ſpectant. 4) Tage-Regiſter über des Allerdurchleuchtigſten Königes Chriſtiani V. glorwürdigſte Lebens und Regierungs-Geſchichte / nebſt Anführung einiger Medaillen und höchſt gedachten Königl. Leich-Begängniß / Hafn. 1702. 8vo, cujus ſcripti auctor vulgo creditur *Dn. Ernſtius*, Politiæ civitatis Hafnienſis Magiſter ab aliis autem Joh. Laurentius, Typographus Regius dicitur. 5) *Erici Erici*, res Chriſtiani V. Regis Daniæ terra marique feliciter geſtæ, quæ allegantur a Wittenio in Diar. Biogr. Tom. I. & Borrichio diſſertatione ultima de Poetis. Neſcio tamen utrum editæ ſint nec ne, cum meis huc usque ſe non ſubjecerunt oculis. Plura cœteroquin huc pertinentia dubio procul notaſſet *Iacobus Henricus Paulli*, ſi ſelecta rerum memorabilium a Chriſtiano V. tribus prioribus imperii luſtris ab A. 1670-1684. domi foriſque geſtarum, quæ jam ab A. 1696. promiſit, lucem publicam adſpexiſſent. Nec paucis in momentis hiſtoriæ Chriſtiani V. lucem affudiſſet *Joh. Laſſenius*, Theologus celeberrimus, ſi hiſtoriam Chriſtiani V. a ſe meditatam abſolvere potuiſſet. Horum tamen induſtriam facile ſuperabit Cl. *Chriſtianus Reitzerus*, Conſiliarius Regius, qui hodienum vitam & hiſtoriam Chriſtiani V. meditatur, ad quam feliciter abſolvendam, ſanitatem ei exoptatam infractasque corporis vires ex animo apprecamur.

XXXIX.

§. XXXIX. Mortuo Chriſtiano V. Regi parentavit 1) *Johannes Wandalinus*, Theologus Hafn. cujus Oratio parentalis in obitum Chriſtiani V. prodiit Hafn. 1699. fol. ſub ſequenti titulo: *Glorioſiſſima imago æternarum Virtutum Auguſtiſſimi Principis Chriſtiani V. ipſo exequiarum die| d. 11. Novembr. 1699. adumbrata.* Pompam vero Chriſtiani V. funebrem & exequias deſcribit tractatus Danicus, cui titulus: Udførlig Beſkrivelſe paa den Stormægtigſte Enevolds Herres og Chriſtſaaligſte Arve-Konges Chriſt. V. lügs herrliche Begängelſe og Jordefærd Hafn. 1700. 4to.

§. XL. Rerum ab Auguſtiſſimo hoc Rege laudabiliter & fortiter geſtarum hiſtoriam egregie illuſtrant Acta & ſcripta quamplurima publico nomine hoc tempore editæ & evulgata. Ut enim in præſenti taceamus ea, quæ Collectarum & ſucceſſionis Oldenburgicæ contra Plönenſem Ducem cauſas, ſub Friderico III. cœptas, exponunt, quorum ſyllabum exhibuit Cl. Mollerus in Introd. P. I. p. 155. 156. ſeqq. Plura adhuc alia extant Acta publica, quæ in *Hamburgenſia*, *Dano-Suedica*, & *Holſatica* dividere non incongruum erit. *Hamburgenſia* pleraque enarravit Cl. Mollerus l. c. Part. IV. p. 557. ſeqq. & 561. ſeqq. quibus h. l. addimus: Den Accord zwiſchen Jhr. Königl. Maytt. von Dennemarck und der Stadt Hamburg de A. 1686. d. 8. Octobr. nec non ſcriptum Batavicum, quod Anno 1691. d. 11. Novembr. ſcriptum prodiit, ſub titulo: *Ant-*

wort

wort van eenen Vrient an eenen andern Vrient, waar door geantwort wort over de Beſchwaringen van de Hamburgers tegens Syne Konigl. Maytt. van Dennemarck en Norwegen alornne gediſpargeert.

§. XLI. Inter Acta publica *Dano-Suecica*, quæ imperante Chriſtiano V. edita ſunt, potiora hæc numeramus: 1) Schwediſcher Völcker Schiffbruch bey Bornholm / ſamt angeführten Urſachen / warum erwehnte Völcker / ſo viel deren mit Mühe und Gefahr errettet / von wegen Ihr. Königl. Majeytt. zu Dennemarck / Norwegen für Krieges-Gefangene angenommen und gehalten worden 1679. 4to pagg. 78. Huic Scripto Sueci oppoſuerunt. 2) Examen ratiociniorum Danicorum ſuper naufragio militum Suecicorum ad Bornholmiam. Porro huc quoque ſpectat. 3) La paix entre les Couronnes du Nord & celle de France 1679. 12mo Denique 4) huc referimus: Des Herrn Geral-Admirals Baron von JUEL Relation an Ihr. Königl. Maytt. zu Dennemarck von dem/ was mit der Flotte paſſiret / nebſt unterſchiedenen Brieffen von Admiral Tromp, an höchſtgedachte Ihr. Königl. Majeſtät / quæ MSta aſſervatur in Illuſtrisſimi Comitis de Güldenlowe, Archi-Thalaſſi Regii, inſtructiſſima Bibliotheca.

§ XLII. Inter Holſatica præprimis notari merentur, illa, quæ controverſiam inter Regem Chriſtianum V. & Chriſtianum Albrechtum, Ducem Gottorpienſem A. 1675. agitatam; illuſtrant. Talia ſunt 1) Rendesburgiſcher

burgiſcher Vergleich d. 20. Junii 1675. 2) *Rendesburgenſia inter Chriſtianum V. D. R. & Ducem Gottorpienſem Chriſtianum Albrechtum, pacta non pacta* 1675. 4to. 3) *Unionis & Communionis in cauſa Regis Dan. adverſus domum Gottorpienſem, præſidium deſtructum* 1675. 4to. Porro controverſias Regis Chriſtiani V. cum Chriſtiano Albrechto, Duce Gottorpienſi, repræſentant ſcripta ſequentia: 1) Des Fürſtl. Hauſes Gottorff ꝛc. in den Erbtheilungs.Unions &c. Brieffen Gerechtſame 1683. 4to. 2) Nachricht von Ihr. Königl. Maytt. zu Dennemarck/ Norwegen wider des Herrn Hertzogs zu Sleswig-Holſtein-Gottorff Fürſtl. Durchl. annoch habenden rechtmäſſigen Beſchwerden und Anſprüchen 1684. 4to. 3) Ihr. Fürſtl. Durchl. Hertzogs Chiſtian Albrechts Beantwortung der Nachricht. 1684. 4) Anmerckungen über die Fürſtl. Beantwortungen der Königl. Nachricht 1685. 4to. 5) Altonaiſcher Vergleich d. 20. Junii 1689. Ejusdem pacis Altonavienſis Commentarios duos MSStos, 2. Voluminibus in fol. conſtantes, penes ſe ſervat J. P. Ludewig P. P. Hallenſ. & Conſiliarius Regis Boruſſiæ, in quibus dubio procul varia notabilia continentur.

§. XLIV. Nuperrimæ inter Chriſtianum V. & Ducem Gottorpienſem Fridericum controverſiæ conſpectum dabunt ſcripta, quibus ea utrinque diſcuſſa eſt, in recenti omnium adhuc memoria verſantia, præcipuorum autem hic eſt ſyllabus 1) Nachricht wegen der zwiſchen dem Könige in Dennemarck und

Hertzogen von Holſtein erwachſenen Irrungen 1695. 4to. 2) Fürſtliche Anmerckungen über die Nachricht 1696. 3) Anzeige / worinnen die Fürſtl. Anmerckungen geirret cum approbat. 1696. 4to. 4) Bericht / daß in denen Fürſtl. Anmerckungen keine Irrungen ſeyn 1696. 5) Antwort-Schreiben eines Freundes aus Regenſpurg an ſeinen Correſpondenten in Holſtein / vorſtellend / wie der Autor des wahrhafften Berichts über die Königl. Nachricht / nichts ſolides noch beſtändiges fürgebracht 1696. 4to. 6) Erwiederte Antwort eines Freundes an ſeinen Correſpondenten in Regenſpurg 1696. 4to. 7) *Lettre d' un Gentilhomme de Holſtein, à un de ſes amis au ſujet des differences nouvellement ſurvenus entre le Roy de Dannemarck & le Duc d' Holſtein* Hamb. 1696. 8) *Reponſe à un pretendu Gentilhomme de Holſtein, qui a pris la peine de regaler le public d'un galamitias au ſujet &c. par l' auteur de l'etat de D. a Dublin* 1696. 9) *Examen d' une feuille volante, qui a pour titre: Reponſe &c.* Hamb. 1696. 10) Cauſæ Conjectio, nebſt einer kurtzen Deduction, wegen der von dem König an den Hertzog neulichſt gemachten 4. Prætenſiones. Auf Fürſtlichen Befehl heraus gegeben 1696. 11) Species Facti cum deductione, entgegen geſetzt der ſogenannten Cauſæ Conjectioni, mit Königl. Bewilligung aufgeſetzet 1696. 12) *Conſpectus cauſarum inter S. R. M. Dan. & Norw. ex un & S. Princ. Dn. Fridericum D. S. H. &c. ex altera parte controverſarum, cum rationibus utrinque allatis, earum deductione & excuſſione, mandato* Reg-

M..

M. 1698. 13) RefcriptumDanicum ad Conſiliarium de Ehrenſchildt 1698. 14) Reſcriptum Gottorpienſe ad Conſiliarium Intimum de Wedderkop 1698. 15) Endliche Behauptung des freyen Exercitii Iuris armorum, fortalitii, Fœderum wider Holſtein/ ꝛc. Glückſtadt 1700. 16) Schließliche Abfertigung der endlichen Behauptung 1700. 17) Faſciculi X. Actorum Publicorum Schleßwig-Holſteiniſcher Affairen 1700. 4to complectuntur potiſſima tractatuum Pinnebergicorum ſcripta, imprimis poſtrema usque ad pacem Travendalenſem, cujus etiam inſtrumentum exhibent.

§. XLV. Antequam Hiſtoriam Chriſtiani V. claudamus, quædam h. l. annectenda eſſe duximus de celebri controverſia inter Olaum Baronem Roſencranzium & Johannem Bunonem Chriſtiano V. regnante agitata, ſuper quæſtionem: *Num Dania Regnum antiquitus electivum & ante tempora Regis Frid. III. aut hæreditarium fuerit.* Priorem ſententiam tuitus eſt Illuſtris Roſencrantzius, poſteriorem vero amplexus eſt Johannes Buno. Utriusque ſcriptum, quo materia hæc comprehenditur, rarum eſt & parum obvium, quapropter eo faciliorem nobis a benevolo Lectore veniam pollicemur, ſi de utriusque contentis hic fuſiorem paulo exhibeamus notitiam. Titulus Roſencrantziani operis hic eſt: *Apologia Nobilitatis Danicæ, contra larvatum illum Franc. Irenæum & Propudioſum illum Holophantem Johannem Bunonem, Hiſtoriarum Profeſſorem in Illuſtri Gymnaſio*

mnaſio Lunæburgenſi, aliosque Nobilitatis infenſiſſimos hoſtes, auctore Olao Roſencrantzio, Toparcha & Barone de Egholm, Domino Engaard, Equite Aurato & Conſiliario Regis Daniæ intimo Hafn. 1681. in 4to Dedicatio hujus operis Chriſtiano V. Danorum Monarchæ inſcripta, Panegyrici inſtar in Chriſtianum III. piæ memoriæ eſſe poteſt, in illa enim merita hujus Principis in terras Danorum fuſe recenſentur atque extolluntur. In ipſius Apologiæ initio ſtatim queritur Illuſtris Auctor, jam ab omni ævo inventos fuiſſe male feriatos homines, qui livore infernali adacti, præſtantiorum & nobiliſſimorum hominum famam proſcindere non erubuerunt. Ad horum vero claſſem refert etiam Franc. Irenæum (a) larvatum & Johannem Bunonem, quorum ultimum in præfatione, quam Ideæ hiſtoriæ Univerſalis a ſe Luneburgi 1664. editæ, præfixit, nobilitatem Danicam convitiis & imputationibus falſiſſimis laceſſiviſſe affirmat. Refellit itaque ejusdem Bunonis aſſertionem, qua Fridericum III. nominetenus ſaltem fuiſſe Regem dixerat, monſtratque abſurdum eſſe, Chriſtiani Orbis Principes, qui definitam & patriis legibus innixam ſortiuntur poteſtatem, nominetenus ſaltem Reges & Principes vocare velle, cum

(a) Irenæus larvatus hic eſt Eraſmus Vindingius, qui Orationem de Regno Daniæ hæreditario & electivo edidit Ilexiæ 1640. & cui etiam præcipue hæc Apologia oppoſita eſt.

cum veri Reges communi omnium ſuffragio æſtimentur. Purgat porro Nobiles a criminatione ipſis a Bunone imputata, ac ſi Suecis, tempore belli Dano Suedici regnante Friderico III. geſti, fortalitia tradidiſſent, quæ alias Sueci hoſtes decem annorum bello vix occupaſſent. Poſt hæc demonſtrat, fruſtra a Bunone ſtatui, Reges Daniæ Jure hæreditario Regna olim obtinuiſſe ac poſſediſſe. Probat illud Roſencrantzius tum ex Saxone Grammatico, Hiſtoricorum Danicorum principe, tum ex hiſtoria Erici Regis, nec non ex reſponſo ab Electore Saxonico & Landgravio Haſſiæ Carolo V. Imperatori dato, qui, Cæſari huic, cum A. 1536. a Daniæ Magnatibus efflagitaverit, ut Comiti Palatino Regnum Daniæ hæreditario jure poſſidendum deferrent, reſpondiſſe feruntur: *Regnum Electivum eſſe Daniam, nullius unquam Imperio ſubjectum, niſi quem libera Ordinum ſuffragia & favor populi ad regenda Imperii loca evexiſſet.* Denique contradicit aſſertioni Bunonianæ, qua Nobiles ex Dominis ſervos factos eſſe aſſeveravit, falſitatemque hujus narrationis demonſtrat, ex privilegiis a Frider. III. Equeſtri Danorum ordini impertitis, quæ 26. articulis comprehenſa exhibet, addito ſolenni hoc ſcripto, quo Ordines Regni, Regnum Daniæ poſthæc hæreditarium futurum eſſe unanimiter declaraverunt.

§. XLVI. Apologiæ huic Roſencrantzianæ *Johannes Buno* oppoſuit ſcriptum ſequenti ti-

tulo inſignitum. *Johannis Bunonis adverſus Roſencrantzium (Olaum) juſta & neceſſaria defenſio*, Luneburgi 1682. 4to pagg. conſtat. 160. In Dedicatione hujus defenſionis Chriſtiano V. inſcripta, queritur autor, ſe tam indigne & inique a Roſencrantzio laceſſitum fuiſſe, cum tamen in Epiſtola ſua ad Chriſt. V. dedicatoria ſuæque Ideæ Hiſtoriæ Univerſalis præfixa, falſi nihil venditaverit, quod, ut eo melius innoteſcat, Epiſtolam dedicatoriam eo tempore vulgatam, huic iteratæ ad Chriſt. V. dedicationi inſerere denuo curavit. Ipſa defenſio X. potiſſimum momentis abſolvitur, quorum contenta ipſe Buno recenſet in præfatione ſua ad Lectorem. Nos in præſenti ſaltem quædam notabimus, quibus Articulo VI. probare conatur Buno, *Jus hæreditarium ab antiquis temporibus Regiæ ſtirpi in Daniæ Regnum fuiſſe*; hoc enim præcipue negavit Roſencrantzius, & in hoc potiſſimum controverſiæ agitatæ vertitur cardo. (a) Stabilire autem ſententiam ſuam ſex potiſſimum argumentis conatur Cl. Buno, quæ hic breviter exhibere non pigebit. *Pri-*

(a) Bunonianæ huic aſſertioni adſtipulatur etiam Vitus Beringus in præfatione ad Florum Danicum, ex qua non pauca huc pertinentia notarunt Cl. Actorum Lipſienſium Collectores A. 1703. menſe April. p. 151. ſq. cui addendus etiam eſt Cl. *Otto Sperlingius* in Commentario de Regio nomine & titulo Konning Haf. 1707. 4to edito, in cujus §. 127. ſucceſſionem Regum Daniæ jam olim hæreditariam fuiſſe probat, ſecusque ſtatuentes §. 129. refutat.

Primum autem argumentum pro aſſerendo & vindicando Regiæ ſtirpi in Regnum Daniæ Jure hæreditario, petit a perpetua & neceſſaria proximorum in Regno ſucceſſione, qua ne quidem illi, qui Imperio indigni ſunt viſi, neque qui Danis fuerunt minus grati & accepti, præteriri potuerunt. Confirmatur hoc duobus potiſſimum argumentis, 1) exemplo Suenonis Canuti M. ex ſorore Nepotis, quem Danos non amore aliquo ductos, ſed neceſſitate actos, quia e proſapia Regia nemo alius ſupereſſet, Regem ſibi elegiſſe ſcribit Meurſius in Hiſtor. Dan. P. I. libr. III. p. 58. (2) Exemplo Abelis, qui fratri Erico, juſſu ſuo interfecto ſucceſſit, & *Rex Neceſſarius* dicitur teſte Pontano Rer. Dan. Hiſtor. libr. VI. p. 337. ubi tres recenſentur cauſæ, cur Dani Abelem, fratricidam licet, & ab omni ſucceſſionis Jure merito ob hanc cædem præcludendum, præterire non potuerint. *Secundum* argumentum ſitum eſt in ſuccesſione ſexus ſequioris, per quam non ſolum Regnum ad exteras familias ſæpe fuit devolutum, ſed etiam, quod ipſa aliquando fœmina, Regni hæres, Danis imperavit. *Tertium* argumentum colligitur a ſuccesſione impuberum, indeque firmisſime conjici poſſe exiſtimat auctor, Regnum non libera electione ſed ſuccesſionis Iure ad hæredes pertinuiſſe. Pueros autem Reges creatos & coronatos fuiſſe exemplis Erici I. (qui hanc ob cauſam, quod Puer Patri ſuccederet, cognomento Barn vocatus eſt) Wal-

demari I. Erici VII. & aliorum demonſtrat *Quartum* argumentum ſumit auctor a Jure Patrimonii, quo Regnum Daniæ aliquoties in Regum filios fuit diviſum, quod certisſimum hæreditatis teſtimonium eſſe aſſerit. Regnum vero Daniæ inter Regum filios aliquoties diviſum fuiſſe auctoritate Meurſii aliorumque refert, qui unanimi cenſenſu teſtantur, Canutum M. Angliæ, Daniæ, & Norwegiæ Regem, Regna hæc non conſultis Proceribus inter filios diviſiſſe. Idem factum eſt tempore Waldemari, quo Regnum Daniæ inter filios diviſum eſt, ita ut Waldemaro Daniam, Erico Ducatum Sleſvicenſem, Canuto Lalandiam & notho ſuo Nicolao Hallandiam aſſignaverit. *Quintum* argumentum ſuggerit teſtamentum, quod Daniæ Regnum ſucceſſori ſemper legavit. *Sextum* denique ſuppeditat fundamentum, jus adoptandi ſucceſſorem, id quod ex Erici Pomerani in filium & ſucceſſorem Regni adoptione a Margaretha, Regina, facta, fuſius demonſtrari poſſe evincit. Præter hæc enumerata ſex argumenta, ſeptimum & octavum addit, quibus oſtendit, Jus Regni Daniæ hæreditarium, ſceptro ad ſtemma Oldenburgicum translato, imminutum quidem, attamen retentum & conſervatum fuiſſe; denique Procerum Regni, Politicorum & Hiſtoricorum teſtimonia adducit, quibus ſanguine proximos non ſolum hæredes Regni appellarunt, ſed & ipſum Regnum Daniæ hæreditarium dixerunt. Reliqua, quibus defenſio

ſio hæc ſcatet, perſonam Roſencrantzii maximam partem concernunt; quippe, quem falſi, doli, calliditatis, iniquitatis & ignorantiæ non uno loco inſimulat. Mallem tamen Bunonem majori erga Virum Illuſtrem modeſtia uſum fuiſſe, ſed objurgatio objurgationem, velut cuneus cuneum trudit.

§. XLVII. Atque hæc de Scriptoribus, qui vitam & Hiſtoriam Chriſtiani V. illuſtrarunt, dixiſſe ſufficiant, Chriſtiani V. Fratrem, Principem *Georgium*, Sereniſſimæ Annæ, Anglorum Imperatricis, Conjugem, fatis functum celebravit *Paulus Vindingius*, cujus extant. Regia Merita D. Principis Georgii Hafn. 1709. fol. edita. De *WILHELMO* Principe, Chriſtiani V. filio natu minimo, præmature defuncto, videnda eſt Oratio Parentalis in exequiis ejus recitata ab *Olao Wormio*, editaque Hafn. 1705. fol.

§. XLVIII. Hodie Septentrio Univerſus mecum ſuſpicit & veneratur Auguſtiſſimum & Invictiſſimum Monarcham *FRIDERICUM QUARTUM* cui Vitam diuturnam, Imperium ſecurum, domum tutam, regimenque quietum ac feliciſſimum humillimo animi obſequio apprecor atque exopto. Inaugurationis & Unctionis Auguſtiſſimi hujus Monarchæ Hiſtoriam dedit D. *Henricus Bornemannus*, Sælandiæ Epiſcopus, ſub titulo: Den hellige og Gndtidelige Kongl. Salvings Act. og feſtivitet i. e. Solennis Unctionis Regiæ Friderici IV.

& Reginæ Louiſæ d. 15. Apr. A. 1700. peractæ deſcriptio Hafn. 1702. fol. cum Figg. æneis.

§. XLIX. De itinere Norwegico, ab Auguſtisſimo Monarcha noſtro, ad perluſtrandas Regni hujus Provincias, Anno 1704. peracto confer *Claudii Predbiornii Langſtædii*, Bornholmenſis, Orationem, qua Friderico IV. auſpicatiſſimum ex Norwegia reditum gratulatus eſt Witteb. 1704. fol. nec non *Jonæ Rami*, Paſtoris in Norwegia Nordrehougenſis, *Orationem ad Auguſtiſſ. Monarcham Frid. IV. Daniæ R. qua Sereniſſimæ Majeſtati Regiæ, pro clementiſſima Regni Norwegici viſitatione & ſollicita peragratione, quæ facta eſt A. 1704. debitas gratias exſolvit.* Chriſtianiæ 1705. fol. In hac oratione non tantum origines, migrationes & expeditiones Norwegorum veterum nobiliores, ſed & tres trium Daniæ Regum, Chriſtiani IV. Chriſtiani V. & Friderici IV. peragrationes Norwegiæ deſcribuntur.

§. L. Reliqua, quæ ad ſtatum Regni Daniæ modernum, ejusque hiſtoriam faciunt, cognoſcere licebit ex itinerario Gallico, quod A. 1706. 8vo prodiit, ſub titulo: Relation d' un voyage en Dennemark fait A. 1702. a la ſuite de Monſr. Vernon. Hiſtoriam præſentis belli pluribus perſecutus eſt Vir Clariſſimus Chriſtoph. Hen. Amthor in Libro ἀνονύμως ſub ſequenti titulo edito: Hiſtoriſche oder Vernunfftmäſſige Unterſuchung der Urſachen / durch welche die zwiſchen Dennemarck und Schweden vor etwan 100. Jahren her vorgefallene Streittigkeiten

eiten und Befehdungen ſich entſponnen / ſonder-
ch aber der bey dem letzt-entſtandenen und annoch
ortwährendem Kriege von einem Theil geführter
Bewegungs-Gründe / und darauf von dem an-
dern vermeintlich geſchehener Ablehnung / von ei-
nem Dennemärcker / der unpartheyiſchen Welt
ur Prüfung übergeben. Gedruckt im Jahr
715. in 4to. Cæterum de hoc bello Dano-
Suedico nihil fere extat, ſi brevem illum tra-
ctatum excipias, qui Lipſiæ 1710. 4to pro-
diit ſub titulo: Beſchreibung des Krieges in
Norden / ut alia minutiora & viliora h. l.
taceamus. Inter illuſtria Auguſtiſſimi Regis
noſtri geſta referimus Erectionem militiæ
Nationalis in utroque Daniæ & Norwegiæ
Regno. Hanc S. R. M. Danico carmine gra-
tulatus eſt *Johannes Lönbergius* Hafn. 1704. 4to.
Cui adde Virum Generoſum *J. Chr. ab Otken*,
Adſeſſorem Regiminis Oldenburgici & Ar-
chivarium meritiſſimum, qui Halæ 1705. 4to
edidit: Diſſertationem de militia lecta pro-
vinciali, in qua cap. I. de eadem conſcribenda
cap. II. de ejusdem Ducibus cap. III. de ejus
conſervatione cap. IV. de foro & diſciplina cap.
V. de ejusdem utilitate atque uſu egregie
diſſeruit.

CAPUT VII.

DE

SCRIPTORIBUS, QUI VITAS ET MERITA Virorum Illuſtrium enarraverunt & celebrarunt.

§. I.

§. I.

DE Scriptoribus, qui vitas & merita virorum in Dania illuſtrium literis mandarunt, commentaturi, ut eo meliori ordine res agatur, Virorum illuſtrium duplicem conſtituimus claſſem, alteram illorum, qui vel Marte & virtute bellica, vel etiam conſiliis aliisque in Daniæ Regnum meritis, inclaruerunt, alteram vero Iſtorum, qui literarum ſtudiis egregie excultis nominis ſui famam celebritatemque adepti ſunt.

§. II. Inter HEROES ſive Viros illuſtres vel Marte vel conſiliis celebres primum merito locum obtinet *HOLGERUS*, Danus, qui tempore Caroli M. vixit. Extat de hoc Holgero, Dano, *Thomæ Bartholini*, Junioris, Diſſertatio Hiſtor. Hafn. 1677. 8vo pagg. 189. edita, in cujus præfatione Cl. auctor (qui cum hanc ſcriberet annos 18. natus fuit) queritur, Danos priſco ævo armis ſolum militiæque indulſiſſe, de literarum autem ſtudiis conſtanter tacuiſſe, & Reges præcipue in id incubuiſſe, ut amplificatione Imperii finium, & ſubjugatione vicinorum memoriam ſuam redderent æternam. Laudat tamen *Abſolonem Huidium*, Archi-Epiſcopum Lundenſem, qui patriam prudenti ſcriptore deſtitutam eſſe, ægre ferens, Suenoni Aggonis & Saxoni in contubernio ſuo viventibus mandaverit, ut de ſcribenda rerum Danicæ genis hiſtoria conſilium caperent. Porro *Erici Menvedi* labores celebrat, cui recentiores Petrejos, Suaningios, Huitfeldios aliosque

ue jungit, quos tamen arte ſolum ſcribendi ntiquitatem ſuperare, in rebus autem nihil ertius ante Canuti VI. regimen, niſi ab exeris corraſum, annalibus ſuis attuliſſe ait. 'ræfationem ſequitur ipſa de Holgero diſſeratio XIX. capitibus incluſa, quorum *I.* agit le Holgeri, Dani, Parentibus & Patria. De ?arentibus Holgeri adhuc inter ſe certant euditi; Gotricum quidem Danorum Regem ?atrem ejus fuiſſe omnes ferè affirmant, ſed le Matre non conveniunt. Alii enim eum a Munda ſive Danemunda, Regis Ruſſiæ filia in lucem editum eſſe aiunt, alii autem Ducis cujusdam Metenſis filiam, Gotrici uxorem, Matrem ejus fuiſſe non ſine fundamento perhibent, a quorum partibus etiam ſtat Batholinus noſter, qui Holgerum natione Danum, non Scytham aut Normannum fuiſſe fuſius demonſtrat, probatque eum ante ſuum ad Carolum M. adventum piraticam exercuiſſe, quod ſtudium olim apud Septentrionales honeſtum & Regium habitum eſſe aſſerit. *Caput II.* circa nomen Holgeri inveſtigandum occupatur, quod Danico Ogerii, Odgeri, Oggeri & aliis, minime autem Olai nomini reſpondiſſe probat auctor. *Capite III.* Inſignia Holgeri enarrantur, quæ Aquilam repræſentaſſe certum eſt. *Caput IV.* prelium Theodorici Regis Gothorum *V.* Hiſtoriam Veronæ & Brixiæ in poteſtatem Holgeri redactæ *VI.* Holgeri adventum ad Carolum M. *VII.* ejusdem fugam ad Deſiderium Regem Longobardo-

rum

rum *VIII.* Hiſtoriam Donationis Comitatus Loſſenſis a Carolo M. Holgero factæ *IX.* Translationem corporis Huberti in Eccleſiam Mariæ Tungrenſis ab Holgero curatam *X.* Holgeri conjugium & Proles *XI.* Hieroſolymitanam & Indicam ejus expeditionem *XII.* ejusdem iter in Hiſpaniam *XIII.* Holgeri bellum Pampelonenſe *XIV.* Ejusdem & Burmanni duellum deſcribunt. Reliqua, quæ reſtant, capita, Holgeri captivitatem, mortem, ſepulturam & elogium exponunt; quibus omnibus in fine additus eſt Index auctorum memoratorum Alphabetico ordine diſpoſitus. Cæterum de Chronico Holgeri obſervandum eſt, quod Francica lingua conſcriptum duabus vicibus editum eſſe affirment eruditi. Mihi huc usque poſterior ſaltem editio Pariſiis A. 1583. edita innotuit, quæ ſequenti gaudet titulo: *Oger le Danois Duc de Dannemarke, qui fut l'un des douze Peres de France, lequel avec le ſecours & ayde du Roy Charle Maigne chaſſa les Payens hors de Rome, & remiſt le Pape en ſon ſiege, & fut long temps en Faerie, puis revint comme vous pourrez lire cy aprez.* Chronicon hoc *Chriſtianus Petræus*, Lundenſis Canonicus, Chriſtiani II. Dan. R. in exilio Comes, bonis literis in Academia Pariſienſi operam dans, auctoritate Chriſtiani Regis, Danico idiomate verſum, Pariſiis imprimi curavit, teſtibus Illuſtri Huitfeldio Chron. Part. I. p. 35. & Lyſchandro in Synopſ. Hiſt. Dan. Part. II. libr. IV. Eadem Petræi verſio Danica, cum ejusdem

dem præfatione aliquoties, ſed omiſſo Petræi nomine, in Dania recuſa eſt. In Germanicam quoque linguam Chronicon hoc a *Conrado Egenbergero* translatum prodiit Francofurti 1571. Denique notamus Anonymi cujusdam rythmum licet minus comptum, quo Holgeri, Dani, laudes celebrantur, apparere ſub finem Wormiani operis, quod ſeriem duplicem Regum Daniæ inſcriptum Hafn. 1642. edidit. Rythmus autem hic e Bibliothecæ Academicæ Hafnienſis excerptus Codice membranaceo ſic incipit: *In gloriam DEI & commendationem ſervi ſui, Holgeri, Chriſtianiſſimi Principis Danorum.* Carmen ſive Cantilena Heroica, Hiſtoriam certaminis inter Holgerum & Burmannum tradens, habetur inter carmina Heroica, vulgo Kampe Viſer Hafn. 1695. 8vo junctim edita, Part. I. p. 85. ſeqq.

§. III Inter recentiores Regni Daniæ Heroes, quorum Hiſtoria & vita literis conſignatæ ſunt, eminet *NICOLAUS KAASIUS*, Regnorum Daniæ & Norwegiæ tempore Friderici II. Cancellarius, Vir eruditiſſimus, teſte H. Ernſtio in notis ad Genealogias Regum aliquot Daniæ a ſe vulgatas p. 92. Vitam ejus ac mortem deſcripſit *Johannes Olai Slangendorpius*, Theol. Prof. Hafnienſis, ediditque Haf. 1594. 4to. *CHRISTIANI FRISII*, de Kragerup, Regni itidem Cancellarii, anno ætatis 58. extincti, memoriam oratione ſolenni celebravit *Joh. Reſenius* Hafn. 1640. 4to. Merita & famam Illuſtris *OLIGERI ROSENKRANTZII*,

TZII, Toparchæ in Roſenholm, & Scaby, Ordinis Danici Equitis A. 1642. d. 28. Octobr. ætat. 68. defuncti, enarrarunt 1) *Henricus Ernſtius*, Ictus Soranus, in Oratione memoriæ ejus dicata Soræque 1642. 4to edita. 2) *Petrus Winſtrupius*, Junior, Phyſices Prof. Hafn. & poſtea Epiſcopus Scaniæ, in Oratione Parentali de vita & obitu ejusdem Hafn. 1642. 4to vulgata. 3) *Olaus Janus Windt*, Paſtor Hafnienſis Marianus, in Concione funebri Danice ibid. 1644. 4to edita. 4) *Jacobus Martini*, Theol. in Acad. Wittebergenſi Profeſſor Primarius, in Juſtis Wittebergæ ipſi factis ibidemque 1643. typis exſcriptis. Omnes hos modo enumeratos diligenter & erudite, ut ſolet, notavit Johannes Mollerus in Hypomnemat. ad Bartholin. p. 365. ubi varia quoque eruditorum judicia de meritis Roſencrantzii congeſta videre licet. Addimus tamen h. l. 5) *Chriſtiani Andreæ* Juſta exequialia in obitum Oligeri Roſencrantzii Haf. 1642. 4to impreſſa. *MAGNI BILDE* vitam & mortem expoſuit *Paulus Johannes Tranius* ediditque Aarhuſiæ 1648. *CHRISTIANI THOMÆI SEHESTÆDII*, Regni Daniæ Cancellarii, vitam deſcripſit *Joh. Faber*, Eloquentiæ Profeſſor Soranus, cujus memoria Seheſtediana Soræ 1658. lucem adſpexit. Ejusdem vitutes & merita celebravit *Thomas Bangius*, edito Theatro poſthumo virtutum Chriſtiani Thomæi Seheſtedii Hafn. 1657. fol. ut taceam *Chriſtiani Oſtenfeldii*, programma in funus ejus editum nec non

non *Joh. Barskeri*, Concionem funebrem Danice Hafn. 1658. 4to vulgatam. *NICOLAI TROLLE*, Equitis, vitam delineavit *Olaus Roſencrantzius*, edita ſtatua Triumphali Dno Nicolao Trolle erecta Hafn. 1669. 4to. *OLIGERI VINDII*, Conſiliarii intimi Regii, memoriam perennem reddidit Olaus Borrichius Hafn. 1683. fol. *HERLUFI TRULLE* (*) vitam literis conſignavit *Chriſtianus Machabæus* in Oratione funebri ei A. 1566. 8vo. Hafniæ ſcripta. *MARCI GIÖE*, Conſiliarii Intimi & Regiæ Academiæ Equeſtris Præfecti laudes recenſuit D. *Petrus Jeſperſonius*, S. R. M. a Confeſſionibus & Concionibus Aulicis, in Oratione funebri ei 1694. d. 14. Octobr. dicta, Hafniæque 1705. fol. edita, ex qua vitam ejus breviter enarrant Clmi Collectores Novorum Literar. Maris Balth. A. 1705. menſ. Auguſt. p. 241. ſeqq. quibus adde *Magni Wyngardi* Epinicium Cœli & Epicedium ſoli, in obitum ejusdem, quod ſtylo lapidari expreſſit Hafn. 1698. fol. Eodem anno *Hector Godfridus Maſius*, Illuſtriſſimo Comiti *ULDARICO*

Q GUL-

(*) Eſt hic Herlufus Trollus celebris ſcholæ Herlovianæ fundator, qui hac ſua benignitate in hiſtoria Danica peculiarem æram meritus eſt, æram nempe fundatæ Illuſtris Scholæ Herlovianæ, quæ incipit A. C. 1564. Laudat benignitatem hanc Joh. Suaningius in Prolegom. ad Chronol. Dan. p. 26. a. ubi Henrici Rantzovii Epigramma exhibet, quo hoc Trullianæ benignitatis exemplum celebravit. Obiit Illuſtris Herlufus A. 1565. d. 19. Junii.

GULDENLOVIO, Equiti Aurato, & Norwegiæ Pro-Regi cocionem funebrem dixit, quæ poſtea A. 1709. fol. Hafniæ excuſa eſt, & ſolennia ſepulturæ hujus Herois ſimul complectitur. Præterea plurimorum Virorum Illuſtriſſimorum extant laudationes funebres, quas omnes recenſere noſtri jam non eſt inſtituti. Interim optandum valde eſſet, ut Orationes hujusmodi & laudationes funebres Virorum in Dania illuſtrium, a quodam hiſtoriæ Danicæ cultore ſedulo colligerentur, junctimque uno volumine ederentur, quo certe labore ingens Hiſtoriæ Danicæ ornamentum accedere poſſe, nemo facile negabit. De illuſtribus cœteroquin Regni Daniæ Cancellariis conferendus eſt Ioh. Suaningius in Chronol. Dan. a p. 97--104. ubi Cancellariorum Regni qui a tempore Regis Johannis e ſtirpe Oldenburgica usque ad A. 1650. floruerunt, nomina conſpiciuntur.

§. IV. Ad Viros Daniæ Illuſtres pertinent etiam ii, qui literarum ſtudiis editisque variis ingenii monumentis præſtantiſſimis, nominibus ſuis famam non intermorituram paraverunt. Inter hos principem omnium conſenſu locum tenet *TYCHO de BRAHE*, nobilis Danus, Mathematicus inſignis Anno 1601. d. 24. Octobr. ætat. 55. cum bonorum omnium luctu defunctus. Perplures ſane fuerunt, qui vitam & meritorum ejus in rem literariam hiſtoriam concinnare non dubitaverunt, quorum prolixum Catalogum exhibet Cl. Mollerus

rus in Hypomnem. ad Bartholin. p. 454. Poſt Tychonem de Brahe, eruditiorem & in omni doctrinæ genere exercitatiorem Dania vix tulit Virum, quam *THOMAM BARTHOLINUM*, Seniorem, Hafniæ 1616. d. 20. Octobr. natum, ibidemque 1680. d. 4. Dec. ætat. 65. mortuum. Sane, ſi copiam Virorum, qui vitam & laudes ejus enumerarunt, conſideramus, mirandum eſt, tot ex omni regione eruditos ad hunc ornandum certatim convolaſſe. Fuſior autem Biographorum & Panegyriſtarum Index exhibetur a Mollero l. c. p. 422. ſeqq. Inter recentiores Daniæ eruditos, præcipue numerandi ſunt. 1) *WILHELMUS WORMIUS*, Coſiliarius Juſtitiæ & Bibliothecæ Regiæ præfectus, anno 1704. d. 17. Martii ætatis 78. extinctus, cujus virtutes & merita, præter eos, qui a Mollero citantur, diſerta oratione enarravit *Paulus Vindingius*, quæ poſtea ſub titulo: *Decorum Wormianorum* Hafn. 1705. fol., una cum H. G. Maſii Inſcriptione & *Jani Bergendalii* laudatione Wormii metrica prodiit. Ejusdem Wormii vita ex Programmate Academico breviter delineata, exhibetur in Novis Literar. Maris Balth. A. 1704. menſ. Septembr. p. 275. ſeqq. ubi etiam ſcripta ejus tam edita, quam affecta enarrantur. 2) *OLAUS BORRICHIUS*, Archiater Regius & ſupremi Tribunalis adſeſſor, nec non Medicinæ in Academia Hafnienſi P. P. cujus vitam & ſtudia a ſe ipſo deſcripta primum edidit & ſupplevit *Frider. Roſtgaardius*,

Conſiliarius Regius. Extat hæc, in vitis ſelectis quorundam doctiſſimorum ac illuſtrium Virorum Vratislaviæ 1711. 8vo editis p. 276-295. 3) Denique *Olaus Römerus*, Mathematicus Regius, & ſupremus Politiæ Hafnienſis Magiſter, cujus famam & in bonas literas merita poſteritati ſervavit *Chiſtianus Reitzerus*, Conſiliarius Juſtitiæ Regius, in Programmate publico Academiæ nomine A. 1711. in fol. patenti vulgato. Reliquorum eruditione illuſtrium Virorum Vitas & Hiſtor. paſſim reperire licebit in *Er. Vindingii* Hiſtoria Academiæ Hafn. nec non in Cl. Molleri Hypomnematibus multoties laudatis, qui eas ſingulari ἀκρίβεια & induſtria notavit atque recenſuit.

CAPUT VIII.

DE

LEGIBUS & JURIBUS DANO-NORWEGICIS, Provincialibus & Municipalibus Nov-antiquis.

SECTIO PRIMA,

De

JURIBUS DANIÆ.

§. I.

Hiſtoriam Juris Danici & Norwegici meditati ſunt Clariſſimi aliquot Viri, quorum opuſcula hactenus inedita Dn. Mollerus in præfatione Apologetica ad Bibl.

Septen-

Septentrionis eruditi §. XLV. p. 65. & aliis locis commendat. Sunt autem ea 1) *Andr. Severini Velleji*, Hiſtoriographi Regii, Nomographia Danica. 2) *Petri Galthii*, Thalaſſiarchi Regii, tractatus de Juris Danorum initiis, progreſſu & incrementis. 3) *Petri Joh. Reſenii*, Chronologia Juris Civilis & Eccleſiaſtici, Danici, Norwegici, Islandici & Gronlandici, Danico-Latina. 4) *Ottonis Sperlingii*, Junioris, Hiſtoria Juris Danici ab ovo repetita & Saxonica omnia ex iſto derivans. Quibus addimus 5) brevem ejusdem Juris hiſtoriam, quam eruditiſſimus Dn. *BUSSEUS*, Norwegus, ſummi Tribunalis Regii, quod Hafniæ eſt, Procurator, Danice ſe conſcripſiſſe nobis ſignificavit, & latine in exterorum gratiam edere pollicitus eſt. Quæ vero Cl. *Sam. Reyherus*, Kilonienſium P. P. in hiſtoria Juris Univerſali, Germanice Hamburgi 1704. 12mo edita cap. XXII. de Jure Sleſvicenſi & Holſatico, cap. XXIV. de Jure Danico adducit, perpauca ſunt, neque ſatis, ut in Univerſalibus iſtis fieri ſolet, accurata. Petinent vero huc etiam Illuſtris *Huitfeldii* præfatio ad Leges terræ Scanicæ 1590. 4to editas, & Reſenii Prolegomena ad verſionem Juris *Jutici* ab *Erico Krabbio* concinnatam.

§. II. Nos h. l. non tam Juris ipſius hiſtoriam, quam Legum potiſſimarum brevem recenſum exhibebimus, collaudatis ſimul earum auctoribus, nec neglectis, qui innotue-

runt Commentatoribus & adminiculis variis, ad illuſtrandas haſce Leges editis.

§. III. Primus igitur omnium, de quibus conſtat, *Odinus* ille Aſiaticus, famigeratiſſimus in univerſo Septentrione morum, inſtitutorum belli & pacis, rituumque ſacrorum reformator, teſte Wormio in præfat. ad Snorronis Chronicon, & ipſo Snorrio auctore, easdem Leges in hiſce Regionibus ſancivit, quæ inter Aſiaticos in uſu fuerunt. Vid. Torfæi Series Dynaſt. & Regg. Dan. p. 143. ſeqq. ubi ſpeciatim ex Snorrio & Edda oſtenditur, Odinum hunc ſolennia funerum & νεκροκαυςίας Leges inſtituiſſe adeo celebres, ut inde certa Epocha Brunaold ſeu ætas combuſtionis dicta ſit: demonſtratur porro l. c. p. 146. ſeqq. Judiciorum ordinem ab eodem introduct. eſſe, dum in urbe Sigtunenſi Principes XII. conſtituit, ad imitationem Trojæ, qui leges tuerentur & judicia exercerent ſecundum conſuetudines Turcicas (Turcos enim appellant ſæpius Islandi Orientales illos, unde Odinus provenit) Hinc emanaſſe videtur Torfæo mos diu in Septentrione retentus, in cauſis gravioribus XII. Judices deligendi, quem HROLFUS Pedeſter ſeu Robertus I. Normanniæ Dux in Galliam, & poſtea Wilhelmus Conqueſtor in Angliam invexit; uti ex Polydoro Vergilio & *Sheringham*, de Origine Anglorum probatur l. c. Præterea Odinus terna quot annis ſacrificia ſolenniter celebranda inſtituit, primum ſub initium hyemis, pro cœli temperamento

&

& clementia; ſecundum media hyeme pro fertilitate terræ & annonæ proventu; tertium ſub æſtatem pro victoria impōſterum retinenda, uti ex Snorrio refert Torfæus l. c. p. 147.

§. IV. De *SKIOLDO*, ſecundum Saxonem, IVto, ſecundum Islandos vero, primo Daniæ Rege, nobis refert Saxo. lib. I, p. 6. quod impias Leges abrogaverit, ſalutaresque tulerit, & ſpeciatim, quod primus reſcindendarum manumiſſionum Legem ediderit; In pœnam ſcilicet omnium libertorum ob crimen læſæ Majeſtatis a ſuo ipſius Liberto commiſſum. Ut de reliquis ſaluberrime in pace belloque conſtitutis nihil h. l. moneamus, de quibus Saxo l. c. videri meretur.

§. V. Poſt hunc FROTHO ille, ſeu Frodius, qui Chriſti nati tempore vixit, varias leges tuliſſe refertur apud Saxonem libr. V. p. 85. ſeqq. ubi octo ipſius Leges militares & quindecim civiles recenſentur. Quibus p. 87. No. 44. Leges ſepulchrales & p. 88. n. 3. Lex connubialis, de pœna ſtupri, de virtute & ſtipendiis militum accenſentur. Quanquam Legem illam de exequiis equo & armaturæ inſignibus condecorandis Snorrius in Chr. Norw. Dano Magnanimo, Regni Eponymo, qui Islandis in ordine Regum nonus eſt, adſcribat, referente ſupra laudato Cl. Torfæo l. c. p. 255. Hic idem Rex DANUS ſibi tumulum fieri curavit, eoque ſe mortuum condi juſſit, ſecundum tenorem hujus inſtituti; unde tumulorum ætas in Dania Haugs Old dicta Epocha

incepit, & ſepeliendi mos introductus eſt, docente iterum Torfæo l. c. p. 273. Cœterum Stephanius in notis ad Saxonem p. 119. Leges Frothonis cum recentioribus, ut & cum Ebræo & Canonico Jure breviter confert, & quæ adhuc in uſu, quæque deſuetudine aut alia Lege abrogatæ ſunt, obſervat.

§. VI. Magnis Daniæ Legislatoribus præterea annumerantur *Haraldus Blaatand* & *Sueno Tiuffskeg* ipſius filius. Quorum ille ſeculo X. ſalutares Leges tulit non modo Danis ſed & Saxonibus cis & trans Albim, nec non Friſiis; quas Saxones & Friſios adhuc Adami Bremenſis tempore obſervaſſe oſtendit Cl. Mollerus Iſagog. Part. I. cap. XV. §. III. & Suaningius in Chronologia p. 69. Easdem & alias Regis hujus Leges cum Eccleſiaſticis Alfredi ab *Henrico Speelmanno* editas eſſe refert *H. Ernſtius* in notis ad Genealogiam aliquot Regg. Dan. p. 30. *Sueno* autem filius a populo ſuo & præſertim Matronarum liberalitate ex hoſtium vinculis redemptus, fœminis ob hoc participandarum hæreditatum Jus, a quibus ante Lege repellebantur, indulſit. Dani quoque ab eo ſylvarum & nemorum tum primum communia impetrarunt. Etenim iis omnibus, qui pro ſalute ejus filios prædes dederant, nunc publice, nunc privatim ſaltus & nemora venditabat; & ſic imprimis Scani & Sælandi communes ſylvas publico ære comparaverunt. Apud Iutiam vero non niſi familiis propinquitatis ſerie cohærentibus emptionis communio

munio fuit. Quæ omnia nobis tradit Saxo libr. X. 186. ſeqq. & Sueno Aggonis p. 73. Denique ejusdem Regis auctoritate, occaſione miraculi a Poppone editi, abrogata duellorum conſuetudine pleraque cauſarum judicia ferri candentis uſu conſtare debere, decretum eſt, auctore eodem Saxone l. c. p. 189. addatur Stephanius in notis p. 120.

§. VII. Deinceps CANUTUM M. Potentiſſimum Septentrionalium Regem, in Anglia pacis tranquillitate potitum, Leges Caſtrenſes ſive Curiales primum condidiſſe teſtantur Sueno Aggonis p. 82. & Saxo Grammat. libr. X. p. 197. 198. 199. Easdem Leges a Suenone Aggonis collectas & notis illuſtratas ipſius Hiſtoriæ adjunxit *Stephanius* p. 143--199. In proemio collector teſtatur, eas Leges priſca lingua Wjtherlogh (ſive Vitherlags Rett) appellari, quam vocem Legem caſtrenſem ſive militarem & Legem curiæ interpretatur; vindicatas deinde ſcribit easdem eſſe ab interitu a Daniæ Archi-Epiſcopo *ABSALONE*; a ſe vero in latinum ſermonem translatas, præmiſſis nonnullis de earum conditoribus, cauſa & loco promulgationis. In ipſius opuſculi capite I. de Canuto M. conditore, capite II. & III. de cauſa Electionis & inſtitutionis, capite IV. de Legum conditione & loco differit. Hinc capite V. Leges minutos exceſſus concernentes exhibet, capite VI. de mutua favoris exhibitione & ſtipendiorum ſolutione VII. de miniſterii reſignatione VIII. de conviciis & contumeliis

IX. de generali controverſia agit. Porro capite X. de prima Legis violatione, XI. de vulneribus & plagis earumque ſatisfactione XII. de ictu & percuſſione XIII. de variis plagarum caſibus, & denique capite XIV. de proditione & crimine læſæ Majeſtatis tractat. Edidit easdem Leges denuo *Petrus Joh. Reſenius*, ſæpius jam laudatus, una cum Jure Aulico Veteri Regum Norwegicorum dicto Hirdſkraa, ſub titulo ſequenti: *Jus aulicum vetus Regum Danorum a Canuto II. Anno 1035. conditum, dictum* Viſitterlags Rett / *e Bibliotheca Olai Wormii, Islandice Danice & Latine cum annotationibus* Hafn. 1673. 4to. Fruſtra vero Cl. Struvius in Biblioth. Juris cap. II. §. IX. edit. IIdæ hoc pro Iure Daniæ & Norwegiæ civili habet; nam ex Cl. Molleri Iſagoge P. I. cap. XV. dudum videri potuit, longe alio civili Iure Daniam hodie uti & uſam ſemper fuiſſe. Rectius vero hujus editionis titulum, licet mancum, allegat in Bibliotheca Hiſtor. p. 727. Denique *Petrus Winslovius* in ſpicilegio Arctoo p. 63. teſtatur, hoc Jus antiquum Aulicum latum quidem eſſe Anno 1035. ſive ſequenti, tempore tamen Canuti V. Anno 1202. literis demum mandatum; quod cum opera Abſolonis, ut ſupra ex Suenone vidimus, factum ſit, hinc a Bartholino de Script. Dan. p. 2. eidem Archi-Præſuli adſcribi videtur.

§. VIII. Poſt hæc tempora HARALDUS, Suenonis Eſtritii filius, inter alia hiſce promiſſis competitorem fratrem a Regno arcuit, quod impias Leges abrogaturus, blandas placi-

das-

daſque ferre vellet, referente Saxone libr. XI. pag. 213. No. 33. Quibus ſatisfacturus in Concilio imprimis adverſum provocationem reſtipulandi Jus edidit, prioresque defenſionis partes, quam accuſationis inſtrumenta conſtituit; funditus quoque ſingularium congreſſionum uſum evertit, ita ut defenſio non armorum, non teſtium uſu, ſed ſola ſacramenti fide niteretur, & cauſarum controverſiæ Jure Jurando expedirentur, vid. Saxo l. c. p. 214. & Stephanius in notis p. 120. Exinde primus hic Rex Danis leges in Regiæ electionis loco præſcripſiſſe & rogaſſe audit Suenoni Aggonis p. 87. quanquam ſola ſacrorum charitate conſpicuus iniquiſſimos actus profuſa animi tolerantia ſuſtinuiſſe, & noxas non venia modo ſed etiam licentia proſecutus, tamque inopem Juris patriam reddidiſſe, quam antea promiſſis divitem fecerit, dicatur Saxoni l. c. Illius vero frater & in Regno ſucceſſor, *CANUTUS SANCTUS*, cum Magnatum inſolentia ſolutos hebetatosque priſci Juris nervos adſpiceret, omnibus ingenii modis ad reparandam patrii moris diſciplinam conniſus, probatioris Juſtitiæ cultum ſeveriſſimis edidit inſtitutis, contuſumque & labentem æquitatis tenorem, in priſtinum habitum revocavit. Ex quibus tamen, & quæ ſequuntur Saxonis l. c. verbis apparet, eum magis neglectarum Legum reſtauratorem, quam novarum auctorem fuiſſe.

§. IX. Hactenus vero Legum diſciplina memoria potius conſtabat, quam in Codicem digeſta habebatur. Qua de re Glorioſiſſimi

Reges

Reges *Waldemarus M.* & *Waldemarus Victorioſus*, ſuis quam optime conſuluerunt, dum, prout in diverſa ſubinde regnum diviſum fuit regimina, quorum cives ſuas ſinguli ſecuti ſunt leges, eosdem ſuis & quibus aſſueverant inſtitutis, permiſerunt. Hinc ſingulis Regni Provinciis Codicem Legis Popularis deſcribendum curarunt, prout teſtatur proemium Codicis Chriſtianæi ex verſione noviſſima. *Waldemarus* enim I. A. 1158. Leges Scanicas tulit, opera ad id uſus Archi-Epiſcopi Eſcilli & Epiſcopi Abſolonis teſtibus *Oſterſonio* in Gloſſario p. 525. Bartholino de Script. Dan. p. 125. *Winslovius* autem in Spicilegio Arctoo & M. *Blütingius* in prima Obſervationum IX. ad Jus Danicum MSStarum ſcribunt: Waldemarum I. circiter annum Domini 1163. de conſenſu Ordinum Provincialium Scaniæ, primum iſtius Provinciæ Leges ſcripto publico in ordinem redegiſſe, ut in tanta Conſtitutionum & Edictorum varietate certum & congeſtum aliquod corpus extaret, quod ſubditi ſequerentur. Collectum vero hoc Jus eſſe, ut reliqua Daniæ Jura, partim ex Jure Canonico, partim ex Speculo Saxonico & domeſticis conſuetudinibus, idem l. c. & Petrus Parvus in reſponſione ad Joh. Magni convitium XX. fatentur. Codicem harum Legum in membrana literis Runicis integre & eleganter exaratum ad ſe delatum eſſe celeberrimus Wormius in præfatione ad ſeriem duplicem Regum Daniæ teſtatur; eundemque egregium antiquitatis monumentum

mentum vocat, cum non adeo multa Runicis literis conſcripta ſuperſint. Ad calcem vero hujus Codicis hæc adſcripta fuiſſe refert: *Pater noſter, qui es in Cœlis, defende TULI a malo & periculis.* Hic vero *Tuli* an auctor, (eorum procul dubio, quæ legibus adjecta ſunt in hoc Codice) an is, qui deſcribi curaverit, an vero ſcriptor ipſe ſit, non dijudicat, ultimum tamen ſuſpicatur. Latine has Leges vertit *Andreas Sunonis*, Archi-Epiſcopus Lundenſis, Ao. 1228. mortuus, de cujus miraculis peculiarem librum ſupereſſe Huitfeldius affirmat. vid. Cl. Mollerus in Hypomn. ad Barthol. p. 161. ſeqq. Verſionem hanc cum docta præfatione ſuperius laudata *Huitfeldius* edidit Hafn. 1590. 4to cum ipſæ Leges jam antea vernaculo idiomate ibidem 1505. prodiiſſent, ſecundum Bartholin. de Script. Dan. p. 125. Dicta quoque Huitfeldii præfatio inſpicientibus (cum nobis ad manus non ſit) decidet ſine dubio inter diſſentientes circa Annum promulgationis harum Legum, cum utraque pars ad eandem provocet. Continet vero Jus hoc Scanicum XVII. libros, capitula vero ſeu titulos 243.

§. X. Ab eodem quoque Rege promulgatum eſt *Jus Eccleſiaſticum* A. 1162. Dominica poſt Iacobi Apoſtoli diem, ad inſtantiam Scanienſium, in Scaniæ quadam arce Londino & Dalbye interjacente; in quo conſtituendo adjuvit potiſſimum *Thordo Gilker*, Iudex in Scania provincialis, uti ex dicta præfatione Huitfeldii & ejusdem vita Waldemari I. refert

fert Oſterſonius l. c. p. 526. Scanicis Legibus hoc Eccleſiaſticum Jus adjectum eſt, & articulis 25. conſtat, adduntur iisdem præterea Leges hæreditariæ, Arfve Bogn dictæ, articulis 60. comprehenſæ; ut & alia lex Orbödemaal dicta, quam Oſterſonius l. c. p. 598. violationem mulctæ ceu crimen læſæ aut violatæ expiationis interpretatur; complectitur eadem 41. articulos. Habetur præterea ejusdem Regis *Lex Scanövenſis*, Paragraphis XIV. comprehenſa, qua circa piſcatores, Falſterboam olim frequentantes diſponitur, vid. Oſterſonius l. c. p. 268. Supereſt denique ejusdem Valdemari Lex ſive Receſſus VI. habens articulos, quo ferri candentis uſum, etiam poſt Haraldi prohibitionem ſupra dictam, iterum uſitatum penitus tollit, & teſtes in qualibet cauſa adhibere jubet. Vid. Oſterſonius l. c. pag. 405.

§. XI. Poſtea A. 1171. ab eodem Rege Glorioſiſſimo *JUS SIÆLANDICUM* conſtitutum eſt, quod typis excuſum Hafn. 1505. ſub hoc titulo prodiit: Här Begynnes thee Zelands lovr paa ráth Danſk / og er ſkifft 17. Bogher/och Hver Bogh hafver lith regiſter oc år / wel afverſket och råtteligħe corrigeret i. e. *Hic incipit Jus Siælandicum genuine Danica lingua ſcriptum, & in VII. libros diviſum, quorum quivis brevem Indicem* (titulorum ſcilicet) *habet, reviſum & correctum.* Subſequitur in eadem editione *Jus Eccleſiaſticum*, Paragraphis XXI. incluſum, quod in Comitiis Ringſtadienſibus promulgavit Archi-Epiſco-

piſcopus Abſalon eodem anno 1171. Videantur Oſterſonius l. c. p. 526. Bartholinus l. c. P. I. & Cl. Mollerus ad eundem p. 154. Accedit præterea huic editioni, Erici Regis promiſſio, ſeu Handfeſtning ut & Regis Olafi; adduntur porro limites inter Daniam & Sueciam a Wormio cum ſerie duplici Regum Daniæ alias editi, denique adjungitur *Jus Oeconomicum* ſeu Caſtrenſe & Aulicum dictum, vulgo Gaardsrett. Ordinantur hoc Jure res Aulæ Regiæ & prædiorum nobilium; ab immemoriali vero tempore jam extitit, typis primo impreſſum eſt in hac editione, ſed poſt a Friderico II. 1562. renovatum & emendatum, Chriſtiani IVti denique auſpiciis A. 1590. recuſum, teſte Oſterſonio l. c. p. 312. Clauditur hæc editio verbis ſequentibus, quæ latine adduxiſſe h. l. ſufficiat: Hic finitur Ius Siælandiæ, Lalandiæ, Falſtriæ & Mœnæ, quod Rex Waldemarus tulit Wordinburgi, ſubjiciturque Ius Eccleſiaſticum, cum aliis promiſſionibus Regiis, curate reviſum & correctum typisque excuſum Hafniæ Anno Dni. MCCCCC V. in profeſto Annunciationis B. Mariæ Virg. apud Godofredum a Gemen in 4to; in ſecunda editione nihil mutatum eſt, ſed ſubjecta tantum præcedentibus finalibus ſequentia verba, Danice expreſſa: *Et nunc recuſum Hafniæ 1576. ad exemplar veteris Legum Coditis, eadem antiqua lingua, ita ut verſiculus verſiculo, verbum verbo, capitulum capitulo reſpondeat, a Mathia Wingaard.* Hanc editionem Iuris Seolandici Huitfeldius

feldius a mendis purgatam dedit referente *Bartholino* de Script. Dan. p. 7. qui tamen hallucinatur in eo, quod ejus libros XVII. numeret, nec forte ex ulla ratione Andreæ Sunonis adſcribat. Non minus erroneè in VI. libros idem Ius diſpeſcit *Oſterſonius* l. c. in Catalogo Legum; Olaus quoque Wormius in notis ad ſeriem duplicem Regum Daniæ p. 31. citat volumen Legum Seelandicarum Anno 1410. typis Godofredi Gemen impreſſum; qui anni numerus ſine omni dubio errore Typographi pro eo, quem ſupra dedimus, irrepſit. Denique M. *Blutingius* in dicta obſervatione I. refert ex allegata præfatione Huitfeldii, Leges Seelandicas ab aliis Waldemaro II. eodem, quo Cimbricas condidit, anno, ab aliis filio ipſius Erico adſcribi; ſed errore typographi vulgus adductum, ut illum Legislatorem faceret, cum is eandem præfationem Cimbricarum Legum ſub eodem dato tam Seelandicis quam Scanicis præfixerit, quaſi Waldemarus II. omnibus Provinciis, uno & eodem tempore Leges dediſſet. Et paulo poſt ex eodem auctore addit, certum manere, ſupputatione Annalium facta Leges Scaniæ 80. annis antiquiores Cimbricis eſſe. Cœteroquin has Leges Sælandiæ uti & Ius Eccleſiaſticum illis junctum, poſtea auxit & illuſtravit Rex Ericus, quare & ipſi vulgo adſcribi teſtantur Bartholinus l. c. p. 125. & Oſterſonius l. c. p. 526.

§. XII. Denique A. 1180. idem Rex Waldemarus I. Ius Regni ſeu Rigens Rett tres articulos

culos *complexum* publicavit, quod confirmatum poſtea & emendatum a Rege Erico A. 1244. Nyburgi, a Chriſtiano IVto demum auctum & publicatum eſt A. 1621. referente Oſterſonio l. c. p. 526. & 662.

§. XIII. Paternum imitatus exemplum Waldemarus II. A. 1240. in Comitiis Wardingburgenſibus Leges Cimbricas rogavit, præter alias Conſtitutiones & promiſſionem ſive Handfeſtning / quarum meminit Oſterſonius in dedicatione Gloſſarii, ubi & eundem Regem Legislatorem cognominatum fuiſſe refert. De hoc Jure Jutico ſive Cimbrico den Judſke Lowbok, cum more ſuo egregie jam egerit Cl. Mollerus Iſagog. P. I. cap. XV. §. VIII. ſeqq. p. 260. nobis hinc ad alia progredi licebit; benevolo Lectore ad l. c. remiſſo. Hoc tantum obſervabimus annum promulgationis ad effigiem hujus Regis editioni de 1642. præfixam, 1232. a Celeberrimo Dn. Reyhero in Hiſtoria Juris Univerſali cap. XXIV. §. IV. hæſitanter 1240. vel 1280. referri; quæ binæ auctoritates annum 1240. dubium non reddent, cum præſertim Dn. Reyherus fluctuet, ſeductus procul dubio per Eckenbergeri dedicationem Juris Jutici ad Chriſtianum IV. in qua annum 1280. erronee pro vero promulgationis tempore venditat. Cœterum & breves illæ expoſitiones Legum & Iurium, Concordantiæ & allegationes circa Leges Iutiæ per Reverendum in Chriſto Patrem ac Dominum, *Canutum*, Epiſcopum Wiburgenſem, & Vene-

rabilem Utriusque Iuris Doctorem, ſuper Iutiæ Legiſterium (Landting) Ripis 1504. excuſæ ſunt, poſteaque eodem titulo Hafn. 158. recuſæ. Vid. Mollerus l. c. p. 262. Quæ editio eadem videtur, quam Dn. Mollerus l. c. §. VIII. primam Iuris Iutici ex Reſenio eſſe ait.

§. XIV. His præcipue Juribus univerſa Dania utebatur quondam, ad quæ tamen laudatorum Regum ſucceſſores ſeparatis temporibus, aliis atque aliis Legibus, rogationibus & Conſtitutionibus magnam attulere acceſſionem. Etenim Ericus Weldemari II. filius, binas dedit Leges teſte Oſterſonio in dedicat. Gloſſarii, quas emendavit poſtea Ericus Glipping A. 1269. ordinavit etiam actiones Forenſes & Jus Regni ſive Rigensrett in aula Danica Nyburgi (ubi tum Regia ſedes erat & Comitia Regni habebantur) A. 1244. conſtituit, uti jam ſupra §. XII. monuimus. Ericus vero Glipping/ Chriſtophori I. filius, omnium primus in Comitiis Nyburgenſibus, cum Rex eligeretur A. 1269. dedit Jus Bircæ, den Birke Rett/ quod Jus a Chriſtophoro Rege poſtea Helſingburgi reviſum emendatumque, ac demum ſub Chriſtiano IV. A. 1623. editum eſt. Aliam ejusdem Regis Legem, XV. articulis diſtinctam A. 1284. latam, & Legibus Scanicis adjunctam, conſtitutiones itidem alias allegat Oſterſonius in Catalogo Legg. Dan. Gloſſario præfixo. Quod Jus illud Bircæ attinet, interpretantur ejus denominationem varii varie; Sua-

uaningius in Chronolog. p. 84. Leges munici-
ipales vocat, Bartholinus de Script. Dan.
. 126. Jus particulare fundi dicit, Celeberri-
nus Dn. *Weghorſtius*, Ictus Hafnienſis, in ex-
licatione vocum quarundam Juris Danici,
Codici Chriſtianeo a ſe latine verſo, adjecta,
ocem Birke ſeu Bircam definit; diſtrictum
eu partem præfecturæ, ubi Regi, prævia no-
ninatione, pacta ab eo, ad quem prædia per-
inent, Judicem atque officiales Juſtitiæ con-
tituere placet. Ut igitur hoc Jus certum Jus
ic privilegium ſit, ab immemoriali tempore
æreditario Jure competens, & a Regibus
Daniæ conceſſum, diverſis Regni ſubjectis,
Epiſcopis, Prælatis & Vaſallis, in hujusmodi
parte præfecturæ. Conf. §. I. hujus Iuris &
Oſterſonius l. c. p. 91.

§. XV. Hujus Regis Erici, Glipping di-
cti filius, *Ericus Menved* multa Scanis privile-
gia conceſſiſſe & Siælandiæ Leges Eccleſiaſti-
cas emendaſſe dicitur Oſterſonio in dedicat.
ſæpius citata. Chriſtophori II., Menvedi fra-
tris, idem quoque refert Conſtitutionem
quandam in dicto Catalogo Legum, in quo
præterea enumerantur Conſtitutiones ac Le-
ges Waldemari IV., Regis Olai, & Reginæ
Margarethæ, quibus vel novum jus ſancive-
runt, vel vetera Jura & privilegia confirma-
runt. Sigillatim ea recenſere Inſtituti noſtri
ratio jam non permittit.

§. XVI. Jus Municipale Stadts-Retten
A. 1444. Chriſtophorus Bavarus articulis

CVII. comprehenſum dedit referente Oſterſonio locis citatis; Quod in judicio Civitatum inferiori Byeting & Curia ſequerentur, ſpeciatim in negotiis mercaturam concernentibus. Typis illud excuſum non eſſe queritur Oſterſonius l. c. p. 727. & hinc rariſſime obvium, nec tuto ob deſcribentium errores ei fidendum eſſe, ſcribit. Iluſtris vero Reſenius antiqua Civitatum Daniæ, Hafnienſis & Ripenſis jura municipalia Latino-Danico-Germanice Hafn. 1683. 12mo edidit, quibus vero iisdem Juribus an & reliquæ civitates Daniæ uſæ fuerint, an vero coetera aliarum Jura nondum edita lateant, definire noſtrum non eſt, cum libellum hunc inſpicere non licuit. Conceſſit idem Rex Chriſtophorus emporiis varia privilegia, quæ confirmata poſt ac emendata ſunt a Regibus, Chriſtiano I. Johanne & Friderico I. teſte Oſterſonio l. c. Et Regis *Johannis* quidem Ius municipale emporiis Daniæ A. 1488. conceſſum, & articulis 161. diſtributum, in dicto Catalogo memoratur. *Chriſtiani II.* autem Leges Eccleſiaſticas & Civiles cum monumentorum Regiorum in æde D. Albani Ottonienſi exſtantium, illuſtratione Hafn. 1684. in 4to Danice edidit *Reſenius*, Vid. Moller. ad Barthol. p. 380.

§. XVII. Reſtaurata ſub *Chriſtiano III.* puriore Religione, reformatore potiſſimum *Joh. Bugenhagio*, in Comitiis Ottonienſibus A. 1537. *Ordinatio Eccleſiaſtica* Kirke-Ordinantz, publice recepta eſt, de qua fuſius in Sectione de Scriptoribus

ptoribus rerum Eccleſiaſticarum Dano-Norwegicarum agemus. Debemus eidem Regi articulos XXVI. Ripenſes A. 1542. die Philippi Jacobi Ripis publicatos, fundationem itidem (reformatam ſcilicet) Academiæ Hafnienſis, receſſum Juris de A. 1558. & Fionenſium privilegia.

§. XVIII. Supplevit porro & auxit Jura Danica *Fridericus II.*, cujus auſpiciis prodierunt Jus Aulæ ſeu Gaards Rett Hafn. 1562. Receſſus Kallenburgicus Hafn. 1576., Jus Nauticum Hafn. 1561. & variæ præter ſolennem tunc temporis promiſſionem ſive Handfaſtninge de 1559. publicatæ ſunt conſtitutiones & edicta, ſpeciatim XXV. articuli religionis & fidei publice agnoſcendæ 1569. propoſiti, quæ omnia enumerantur in dicto ſæpius Catalogo Oſterſoniano, & in Noviſſima editione Codicis Iuris Cimbrici A. 1642. Hafniæ editi recuſa conſpiciuntur. Acceſſerunt eidem editioni Glorioſiſſimi Regis *Chriſtiani IV.* edicta & mandata, Receſſus Iuris, tribus libris, articulis 341. comprehenſus, quo omnia ea, quæ ab A. 1596. hic Rex conſtituit, continentur, & libro quidem I. Eccleſiaſtica, II. quæ ad Politiam ſecularem ſpectant, III. quæ de Norwegicis rebus diſponunt. Adduntur præterea Ius Regni & Ius Bircæ, de quibus ſupra jam monuimus. Reliquas vero, poſt hanc editionem, ſancitas Conſtitutiones, ſigillatim recenſet Oſterſonius in Catalogo multoties allegato.

§. XIX. *FRIDERICUS III* denique plurimas promulgavit Conſtitutiones, in Catalogo citato usque ad A. 1651. nominatas, & recentiores per omne Regni ipſius tempus tam ante reductam abſoluti Imperii formam, quam poſt eandem. Accidit enim ſub hoc Rege celebratiſſima illa priſci ſtatus Monarchici reſtitutio, quando pace Hafnienſi confecta ſtatus Regni Daniæ in Regem Regiamque familiam & legitimos utriusque ſexus hæredes plenum Ius hæreditarium, Regnorum Daniæ Norwegiæ, omniumque eorum Provinciarum, ultro tranſtulerunt, & A. 1660. die 16. Octobr. ab univerſo Regni Senatu promiſſione Regia ſeu Capitulatione abolita & ſublatà, die 18. ejusdem omnes Status, Nobiles, Eccleſiaſtici & Cives homagium publice & ſolenniter Regi & Principibus Regiis præſtiterunt. Hinc die 17. Novembr. Inſtrumentum confectum eſt, quo fatentur Status omnes, ſe Regiam Capitulationem ſuſtuliſſe & abrogaſſe, & Regiam Majeſtatem a Iuramenti vinculo liberaſſe. Demum anno ſequenti Eenevolds Arve Regierungs-Act, ſive inſtrumentum abſoluti & hæreditarii Imperii confecerunt, ab omnibus utriusque Regni præcipuis incolis, Nobilibus, Eccleſiaſticis, Civibus, ſubſcriptum & ſubſignatum, 1661. d. 10. Ian. in Dania, d. 7. Auguſti in Norwegia, 1662. d. 28. Iulii in Islandia, d. 14. Auguſt. in Ferroa. Iuſſit ex eo tempore Rex Glorioſiſſ. memoriæ novum Iuris Codicem, præſenti tem-

tempori & imperii formæ accommodatum; ex omnibus Legibus, quibus Dania & Norwegia hactenus uſæ fuerant, concinnari; cujus compilatio quoque A. 1669. perfecta eſt. Deinde *Legem Regiam* Konge Lowen condidit, modumque poſteris præſcripſit, in abſoluto Imperio ſuccedendi, quæ edita juſſu & ſumtibus magnificis Regioque opere dignis Auguſtiſſimi Monarchæ FRIDERICI IV. ex originali, ſub hoc titulo: LEX REGIA, det er den Souveraine Konge Low / ſat og gifven af Kong Friderich den Tredie / og underſkreven d. 14. Novembr. 1665.; af Kongelig Maytt. Friderich den IV. publiceeret d. 4. Septembr. Anno 1709. foliis XIX patentibus i. e. *Abſoluta Regia Lex lata & condita a Rege Friderico III. ſubſcriptaque d. 14. Novembr. 1665.; publicata a S. R. M. Friderico IV. d. 4. Sept. 1709.* Præmittitur diploma Regium, ex quo hactenus dicta nos excerpſiſſe lubentes fatemur. Nos Legem hanc Regiam Latine, ut accepimus, verſam a Petro Schumachero, Comite quondam Greiffenfeldio, ex MSto ad Calcem libri exhibebimus.

§. XX. Codicem Iuris Danici CHRISTIANEUM quod attinet, juſſu Friderici III. ut diximus, compilatus, perfectus demum eſt auſpiciis Divi Chriſtiani V. qui eundem ſæpius revidendum Ictis aliquot celeberrimis dedit, atque edi juſſit 1683. 4to. quo in labore præcipue deſudavit *Eraſmus Vindingius*, teſte Dn. Mollero in Hypomn. ad Barthol. p. 213.

ſpicileg. p. 14. ſeqq. præfat. Apologet. §. 20. p. 39. qui & de hoc Codice in Iſagog. Part. I. cap. XV. §. 17. p. 274. ſeqq. videndus eſt. Latine reddidit hunc Codicem Vir Cl. *Henricus Weghorſtius*, Conſiliarius Concellariæ Regius, I. U. D. & in Academia Equeſtri Regia Hafnienſi P. P. ediditque Hafn. 1698. 4to & paulo poſt Germanice etiam, ſub titulo: Chriſtiani V. Geſatz-Buch Hafn. 1700. 8vo. Nuperrime alia hujus Codicis verſio latina, quam potuit, puriſſime & curatiſſime adornata eſt a *Petro Höyelſino*, Rectore quondam Scholæ Nicopienſis in Falſtria (qui quidem antequam ederetur, mortuus), prodiitque Hafn. 1710. 4to. Nova tamen Ordinatio Politiæ, in proœmio hujus Codicis promiſſa, nondum publicata eſt. Editæ vero ſunt non paucæ conſtitutiones poſt perfectum hunc Codicem, quas Typographus Regius & Conſiſtorii Adſeſſor, Vir Cl. Dn. *Laurentii* collectas recudere inſtituit, & neceſſariis remiſſionibus ad Codicis titulos & Paragraphos, nec non Indice, augebit. Singula Codicis hujus Capita ſeu tituli enarrantur in Nov. Liter. Mar. Balth. A. 1698. menſe April. Cœterum de alia hujus Codicis verſione nondum edita *Chriſtiani Mülleri*, ejusque notis videatur Molleri Spicileg. Hypomn. ad Bartholin. p. 15.

§. XXI. De Legum Danicarum laude nihil addimus, cum non opus ſit verbis, ubi rerum teſtimonia adſunt, & ipſe Daniæ Momus optimus Iuris illius Encomiaſtes ſit, de quo videri

videri poterit Cl. Moller. in Hypomn. p. 214. Præter Jura recenſita extant *Jus militare & maritimum*, quæ allegaſſe h. l. ſufficiat. Horum alterum primus dediſſe videtur Chriſtianus IV. cujus articuli bellici Hafn. 1644. & 1665. Danice in 12mo excuſi ſunt, nuperrimeque Chriſtiani V. Kriegs-Articul ſeu Articuls-Brief/ und Kriegs-Gerichts-Inſtruction, cum noviſſima conſtitutione Auguſtiſſimi Monarchæ *Friderici IV.* prodiit Glucksſtadt 1710. 8vo. Alterum vero jam a Friderici II. tempore editum fuit. Ejus enim *Jus nauticum* Hafn. 1561. & 1643. in 4to Danice impreſſum eſt, quod deinde a ſequentibus Regibus varie emendatum auctum & confirmatum eſt, ut de *Jure maritimo Gothlandiæ* Hafn. 1545. Danice in 8vo edito & celebratiſſimis LL. Wisbyenſibus h. l. nihil dicamus.

SECTIO SECUNDA.

De

JURE NORWEGICO.

§. I.

IN Norwegia primus omnium Jus conſtituiſſe & literis conſignaſſe refertur OLAUS SANCTUS, qui initio ſeculi XI. regnavit; tulit enim ille Leges lingua vernacula Graagaas dictas, quibus omnem vim ac rapinam coercebat, teſte Oſterſonio in dedicat. Gloſſarii. Dicitur idem in Norwegia Monarchica & Chriſtiana a Chriſtiano Jacobi conſcripta

p. 10. Patriæ Regno & ſacris reſtitutis, legibus non minus proſpectum voluiſſe, quas redditas ſuis, quoque Jure Canonico & publico firmatas auxerit.

§. II. Sueno quoque Canuti II., Regis Daniæ, filius, qui Olao S. Rege in celeberrimo ad Stickleſtadam prælio A. 1030. occiſo, Regnum occupaverat, multas Leges Norwegis, ut plurimum ſecundum mores & jura Danorum tuliſſe dicitur, quæ vero ſæpius ſeveriores audiunt Oſterſonio l. c.

§. III. *Magnus vero* Olai S. filius, in Regno reſtitutus, conſilio Procerum & prudentiorum collegit & emendavit Codicem Legum Graagaas dictarum, qui hodieque Nidroſiæ reperitur, referente Oſterſonio l. c. & cujus exemplar MStum citat Bartholinus in Catalogo MSStorum Antiqq: Danicis ſubjuncto, & in ipſo opere p. 103. hujus Legis nonnulla capita exhibet. Hoc autem opere adeo ſibi populum univerſum devinxit, ut chariſſimus ab omnibus habitus & communi omnium calculo bonus cognominatus fuerit. Præcipue tutoris Calvonis Arneſſonii ſuaſu has Leges concinnaſſe dicitur, in dicta Norwegia Monarchica & Chriſtiana p. 13. quod tamen non de nova Legislatione, ſed de veteris reſtauratione, poſtquam ea per recentiores & extraneas Suenonis Leges in deſuetudinem abiiſſe videtur, intelligendum eſſe ex ſuperioribus apparet.

§. IV. His Legibus uſi ſunt Norwegi, usque ad Magni VI. Hagonis filii, tempora, qui

ſeculo

ſeculo XIII. vixit; ante quem Regem quadruplicia in Norwegia erant Jura, videlicet Lex *Froſſetingenſis*, *Guletingenſis*, *Oplandica* & *Wigenſis*, ſecundum diverſos mores diverſarum Regni hujus partium. Erant præterea minora cujuscunque Provinciæ Jura, teſte Oſterſonio in ſæpe citata dedicatione Gloſſarii. Omnia hæc Jura correxit, emendavit & auxit Rex Magnus A. 1267. ita ut hiſtoria domeſtica eum illuſtri Lagebätter. i. e. Legum emendatoris titulo inſigniat. Speciatim magnus Religioſorum fautor audit, & decimam Regiorum fructuum partem iis, nullo orante, conceſſiſſe refertur in Norwegia Monarchica & Chriſtiana p. 43. Quin & Islandos non tantum humanitate ſua cepiſſe, ſed & privilegiis magnis ad Norwegicarum Legum obſervantiam invitaſſe & allexiſſe narratur l. c. Iisdem enim primus obtulit Regiam promiſſionem, Handfeſtning/ & poſtea Leges emendatas A. 1270; quæ tamen non niſi poſt magnas diſputationes & contradictiones receptæ ſunt in hac Inſula, uti inferius videbimus. Ab eodem quoque Rege *Jus aulicum* Hirdſkraa ſeu Gaards Rett vernacule dictum A. 1273. conditum refert Oſterſonius l. c. quod e veteri Norwegica in Danicam linguam translatum edidit Illuſtris *Huitfeldius* Hafn. 1594. 4to. Idem cum annotationibus edidit *Janus Dolmerus* ibid. 1657. & 1666. 4to & denique *Reſenius* illud una cum Jure Aulico Danico cum notis & verſione Latina publicavit ibid. 1673. 4to. Videtur tamen *Chriſtianus*

Jacobi

Jacobi in Norwegia Monarchica & Chriſtiana, idem Jus Regi Olao S. tanquam primo auctori adſcribere, per ea quæ §. I. hujus Sectionis allegavimus verba; quod ita forte conciliari poſſet, ut, quod de lege Graagaas diximus, illum primum auctorem habeamus, hunc vero emendatorem & quaſi novum conditorem.

§. V. Poſt hunc Regem Magnum, OLAUS ultimus Familiæ Regiæ, Margarethæ Reginæ filius, nonnullas Leges conſtituit, in Norwegia non minus quam in Dania; veluti & ſecutos ipſum Reges, qui utrique Regno imperarunt in caſibus obvenientibus feciſſe dubitandum non eſt. Imprimis vero *Chriſt. IV.* de variis hujus Regni negotiis diſpoſuit in Receſſus ſui Parte III. articulis XLI. comprehenſa. Anno vero 1602, per mandatum de 31. Auguſti, juſſit omnes Judices, Laagmändene/ Norwegiæ convenire Opſloæ hodie Chriſtiania dicta, ad diem Pauli converſionis, ibique juncto conſilio & unanimiter Codicem Juris Norwegici concinnare, eundemque ſubſcriptum & ſubſignatum ad Cancellariam Regiam transmittere; quo facto & Codice hoc a Rege ipſo Regiisque miniſtris reviſo ac emendato, reliqua Jura omnia abrogata ſunt. Hic vero Codex in Comitiis Bergenſibus menſe Iulio A. 1604. præſentibus Rege, Nobilibus atque Iudicibus prælectus, examinatus, ubi opus erat, correctus, atque eodem anno impreſſus eſt in 8vo. Quæ eadem editio videtur, quam Bartholinus de Script. Dan. p. 126. ad 1614. refert; poſtea

tamen

tamen idem Codex recuſus eſt cum annotationibus *Jani Bielckii*, Cancellarii Norwegici, Hafn. 1657. 4to. Diſtinguitur hic Codex in VIII. libros, & 199. titulos ſeu capita, quorum librorum rubricas refert & citat Oſterſonius in Catalogo Legum Gloſſario præfixo.

§. VI. Cum vero Juris Danici novus Codex, quod ſupra memoravimus, prodiiſſet, mox quoque novum Juris Norwegici corpus Hafn. 1687. 4to editum eſt; cui recentiores quædam Conſtitutiones poſtea acceſſerunt, & hoc jure univerſa Norwegia hodie utitur.

SECTIO TERTIA.

De

JURE ISLANDICO.

§. I.

PRimos Islandiæ incolas mores eos, easdemque conſuetudines ſervaſſe, quibus in patria Norwegia aſſueti erant, & in poſteros quoque transmiſiſſe, nihil eſt, quod dubitemus. An vero in ſingulis hujus inſulæ partibus hæ leges conſuetudinariæ ex parte diverſæ fuerint, non conſtat, de ſumma certe conveniſſe nobis auctor eſt *Arngrimus Jonas* in tractatu de Islandia, tractatibus variis Stephanii inſerto cap. VIII. p. 445. Quanquam illud ſuſpicari licet ex eo, quod primi occupantes, ex diverſis Norwegiæ & aliarum regionum partibus, quas Iure diverſo olim uſas fuiſſe,

ſupra

ſupra diximus, ibi commigrarint, diverſis igitur imbuti conſuetudinibus.

§. II. Primo tamen A. 928. conſilium de Legum forma aliqua communi initum refert *Arngrimus* l. c. inſtinctu cujusdam Ulfflioti, qui ex Norwegia Guletingenſis Iuris exemplar ante biennium attulerat, unde & Islandi multa eodem teſte mutuati ſunt. Huic Legum conformationi *Thorleifus Hin Spake* i. e. ſapiens adſcitis aliquot Collegis præfuit; & ut illi promulgandæ aptior locus eſſet, forum illud magnum & generale tunc primum inſtitutum eſt, quod præcedenti capite ab eodem Arngrimo p. 448. deſcribitur: *Conventus incolarum & Comitia annua, vernacule* Altyng *dicta, quo ex tota civitate Islandica quotannis gregatim confluebant, & plerumque cauſæ graviores reſervabantur, & per appellationem relegabantur.* Inde novus Magiſtratus poſt biennium natus eſt, qui Legum aſſertor eſſet, quem Nomophylacis ſeu Præſidis nomine inſigniunt. Hoc modo initio quædam Juris Islandici lineamenta prædicti Ulfflioti conſilio ducta ſunt, ſucceſſive vero quædam addita, immutata, reformata. Recenſet poſthæc & alia Arngrimus l. c. Nomophylaces omnes, qui ab A. 930. usque ad A. 1262. huic Inſulæ præfuerunt. Tempore vero *Marci*, qui ſecunda vice anno 1097. Nomophylax factus eſt, nonnulla in Legum conſtitutionibus immutata & innovata ſunt. Rogabantur novellæ Leges a Cive quodam Borealis Islandiæ, cui *Mar* nomen erat, delecto ad hanc rem *Bergthoro*,

ro, qui A. 1093. jam Nomophylax fuerat, cum quibusdam aliis. Quod vero ab his decretum, communi conſenſu anno proximo in foro magno ſancitum eſt. Ex hoc genere fuit lex de homicidio prolixa & varia, Wůgslode dicta, & multæ præterea leges, quæ poſtea diu obtinuerunt.

§. III. Anno 1116. memoratus *Bergthorus* iterum Præſidis officio functus eſt, ejusque tempore *Jus Canonicum Islandorum*; (Kriſtinrettur/ i.e. Inra Chriſtianorum dictum) ſcriptum & receptum eſt. Jus vero illud Canonicum, quod & Chriſtiva Saga thatt vocatur, ab Epiſcopis Islandiæ Holenſi ſecundo Ketillo, & Thorlaco Runulfi, Scalholtenſi tertio, conjunctim auctum eſt, accedente Osfueri vel Aſueri, Lundenſis in Dania Archi-Epiſcopi, auctoritate, circa A. 1130. referente eodem l.c. qui præterea de legibus hiſce nihil ſpeciatim proditum eſſe teſtatur p. 457.

§. IV. Cum vero Leges Norwegicæ, quod ſupra monuimus, a Rege Magno VI. Islandis offerrentur, annoque 1280. poſt varias diſceptationes reciperentur per Jonem Laagmand i. e. Nomophylacem transmiſſo earum Codice, is inde *Jonis Codex* audiit, ſemperque uſitatus fuit teſte Oſterſonio loco ſæpius citato.

§. V. Extat hoc Juris Islandici corpus, Islandſkur Lobockur/ 1578. 8vo impreſſum, ſecundum Bartholinum de Script. Dan. p. 126. Ejus vero Juris ſequentes titulos Arngrimus l.c. refert: Primum de Conjugio II. de ſucceſſio-

ne

ne hæreditaria, tutelis, præſcriptione immobilium, & fundorum limitatione ac diſtributione, III. de contractibus & Iure maritimo, Farmauaraff dicto IV. de homicidio, qui omnes injurias, infamiam, corpori vel vitæ hominis illatas continet. Fuere præterea quædam conſuetudine recepta nec in Juris Codicem relata, qualia imprimis Monomachiæ Leges, & ſacramenti ad veritatem aſſerendam ritus fuiſſe Arngrimus l. c. cap. IX. perhibet.

§. VI. Ad Epiſcopos cœteroquin in Islandia non minus quam alibi ſpectavit Papatus tempore LL. Canonicarum Conſtitutio; quæ quia ex Eccleſiæ Romanæ & aliarum hanc ſecutarum Canonibus magna ex parte ſumtæ, nihil novi in iis, quibus in hac inſula uſi ſunt reperitur. Tantam vero fuiſſe Islandorum veterum erga miniſterium reverentiam, ut Ius civile & ſeculare, juri divino ſeu Eccleſiaſtico cedere voluerint, non ſemel aut iterum ſed ubique; prout in Comitiis A. 1050. apud Islandos ſancitum eſſe Arngrimus l. c. 499. teſtatur.

SECTIO QUARTA,

De

JURE SLESVICENSI & HOLSATICO.

§. I.

JUra Ducatuum Sleſvicenſis & Holſatici Clariſſ. Dominus Mollerus in Iſagoge ſua ita recenſuit, ut ſuperfluum foret eadem hic

ic vel nominare. In gratiam tamen bene-
oli Lectoris & melioris connexionis cauſa
ingula hujus libri loca ſuis locis allegabimus.

§. II. De Jure utriusque Ducatus publico, videatur Mollerus Iſagog. Part. I. cap. XV. §. I. De Iure vero privato illiusque pro diverſo tempore, diverſis fontibus, commentariis & interpretationibus conferatur idem l. c. pag. 246. ſeq.--282.

§. III. Jura Slesvicenſis Ducatus Provinciarum ſpecialia, & quidem *Jus Friſiæ Borealis* antiquum pertractat idem l. c. Part. III. cap. II. §. III. p. 244. Recentius vero Friſiæ Borealis Ius recenſetur l. c. p. 245. *Eiderſtadienſe Jus* exhibetur §. V. p. 248. *Nordſtrandicum* p. 250. ſeq. *Stapelholmenſe* §. VIII. p. 255. *Femarienſe* §. IX. p. 255. ſeq.

§. IV. De Juribus ejusdem Ducatus urbium Regiarum municipalibus conferatur idem Part. III. cap. III. & quidem de *Ripenſi* §. I. p. 257. de *Flensburgenſi* §. II. p. 260. De Jure vero urbium Ducalium municipali Part. III. cap. IV. conſulendum eſt, & quidem de *Slesvicenſi* §. I. p. 350. de *Eckrenfördenſi* & *Tönningenſi* §. III. p. 354 de *Huſenſi* §. IV. p. 355. de *Friderichsſtadienſi* p. 358.

§. V. Idem Cl. Mollerus hiſtoriam *Juris Lubecenſis*, Civitatibus Holſatiæ nec non *Tunderæ Sleſvicenſi* (vid. P. III. cap. IV. §. V. p. 357.) & *Burgæ* in Femaria conceſſi, ſiſtit Part. IV. cap. VI. p. 493--505. cui addes ea quæ de *Jure Hamburgenſi* Part. IV. cap. XI. p. 621. & de JURE

Provinciali Dithmarſico Part. IV. cap. XII. §. VI ſeq. p. 635. ſeq. præclare diſſerit. De poſteriori tamen ſcilicet Iure Provinciali Dithmarſico antiquo A. 1447. promulgato addimus, quod primitus quidem 211. articulis comprehenſum fuerit, donec A. 1480. articuli quinque acceſſerint, & ſequentibus annis Ius illud 28. Articulis adauctum fuerit, tandem vero A. 1538. ultimus articulus nempe ducenteſimus quadrageſimus quintus additus fuerit. Varia in hoc Iure provinciali antiquo incongrua & ipſi Iuri naturæ adverſa contineri, ipſi antiquarum Dithmarſicarum rerum Scriptores non diffitentur, inter quæ numerant paſſus de Iuramentis, qui in Iure hoc articulis præſertim 155. 165. 6. 26. 74. 75. 195. &c. continentur, monent tamen etiam ſcriptores allegati, articulos hoſce A. 1538. per Petrum Schwein & Popponem Reimari filium publice eſſe abrogatos. Huc m. pertinet probatio quæ igne candente facta eſt, ut & aliis populis, ita Dithmarſis quoque uſitata, quæ tamen etiam poſtea ceſſavit. Varia lectu jucunda hac de materia offendere licet in Chronicis Dithmarſiæ MSStis, ſpeciatim in relatione hiſtorica de Dithmarſia MSta, quam A. 1634. ex ſchedis Iohannis Adolphi, Paſtoris quondam Büſenſis, collegit Iohannes Detlevus, Windbergenſis, & quam inter mea hodienum aſſervo.

SECTIO

SECTIO QUINTA,
De
JURE OLDENBURGENSI & Delmenhorſtano.

§. I.

BIna in horum Comitatuum judiciis jura ſcripta obſervantur, præter ea, quæ univerſum Imperium publice recepit vel conſtituit, ut ſunt: Ius Canonicum, Ius Civile Iuſtinianeum, Receſſus Imperii, Ordinationes Criminales &c. quæque ſpeciatim ab Illuſtriſſimis Comitibus & Auguſtiſſimis Daniæ Regibus illorum ſucceſſoribus, præſcripta ſunt.

§. II. Iurium illorum alterum *municipale eſt*, *provinciale* alterum. Illud Bremenſium jus ſtatutarium eſt, quod Senatus Populusque Bremenſis A. 1303. poſtridie S. Andreæ communi voto in Scripturam redegit, ut impoſterum de receptis hactenus conſuetudinibus & Imperatore Carolo M. & Friderico I. conceſſis juribus & privilegiis melius conſtare poſſet; Privilegia Caroli M. diplomati confimatorio de A. 1186. inſeruit Fridericus I. Cæſar, quod edidit & contra fidem ejus impugnantes defendit Cl. *Dn. Eggelingius*, Secretarius Reipublicæ Bremenſis, diligens antiquitatum ſcrutator, in Exercitat. Miſcell. Germ. Antiq. Exercitat. IV. Bremæ 1700. edita p. 12. ſeq. Præter hæc ſtatuta eadem civitas ſibi A. 1433. non-

nulla alia conſtituit, die Taffel dicta, citante eodem Eggelingio l. c. p. 27. in qua tabula varii mores variæque in Scripturam non redactæ conſuetudines, jura & privilegia allegantur & confirmantur, ut nihil hoc loco dicamus von der Kinder-Rolle A. 1498. promulgata, & anno quovis Dominica Lætare publice e curia prælegi ſolita, de qua videri pt. Eggeling. l. c. p. 20. Confirmata ſunt hæc ſtatuta A. 1534. in der neuen Eintracht inter Senatum populumque Bremenſem erecta. Cœterum cum Brema urbs vetuſtate aut ſaltem Jurisdictione Webilethica reliquas Germaniæ urbes, quarum jura municipalia magnæ ſemper auctoritatis fuerunt, ut Hamburgum, Lubeca, Magdeburgum &c. antecedat, miramque harum civitatum ſtatuta cum Bremenſibus harmoniam oſtendunt, hæc non immerito reliquarum matrem aut aviam dici poſſe judicat Eggeling. l. c. p. 24.

§. III. Statuta hæc in IV. libros diſpeſcuntur, quorum primus titulis XIV. de Judicialibus agit, ſecundus totidem de contractibus, tertius octo titulis de teſtamentis, legatis & ſucceſſionibus ab inteſtato, quartus 13. titulos continet & de delictis tractat. Accedunt V. Capita emendata materiam injuriarum & homicidii concernentia.

§. IV. Poſtquam igitur Oldenburgum non mediocria incrementa ceperat, ut moribus quondam uſitatis res ſuas amplius ordinare poſſe non videretur; clementer Comes

Conradus I. cum filiis & Patruelibus prima civitati dedit privilegia, & uſitatum hactenus jus municipale & receptas conſuetudines confirmavit, propriaque ſtatuta, ſecundum Bremenſium jura conceſſit, quod factum eſt A. 1345. teſte *Hamelmanno* in Chron. Oldenb. Part. I. cap. XXIX. p. 93. Parte II. cap. X. p. 139. & *Winckelmanno* in Chron. Oldenb. p. 61. a.

§. V. Eadem privilegia A. 1403. civibus confirmarunt Comites Chriſtianus VII. & Dietericus fratres, nec non 1463. Comes Gerhardus Bellicoſus cum filiis, hunc enim cives Oldenburgenſes permoverunt ut illis ſtatuta Bremenſia, pleno tenore, quo Bremæ publicata ſunt, concederet, quod m. ſolenniſſime A. 1463. factum, ita ut Comes cum filiis, & Senatus Populusque Oldenburgenſis hæc jura & privilegia ſervaturos eſſe, erectis digitis rite jurarint. Circa hæc tempora Delmenhorſtium, quod jam ab A. 1270. jure civitatis donatum fuerat, permiſſu Comitis eadem ſtatuta Bremenſia ſecutum eſt, iisque præter conſuetudines & privilegia particularia hodienum utitur. Videatur *Hamelmannus* l. c. p. 166. 125. & 263.

§. VI. Ad jus hoc Oldenburgico-Delmenhorſtanum municipale ſtatutarium pertinet D. *Pauli KOCHII*, ſpecimen differentiarum juris Romani, Saxonici, Statutorum Bremenſium, Lubecenſium, Hamburgenſium, uti etiam Oldenburgenſium & Verdenſium, Oldenburgi 1676. 12mo editum, in quo generali-

ter ordine Alphabetico materias juris, & ſtatutorum a Jure Civili differentium exhibet, citatquè ſæpius auctorem quendam *Krefflingium* (qui in ſtatuta & ordinationes gloſſas ſcripſerit) nunquam forte publicatum. An vero ab illo ſpecimine alia diverſaque ſit Synopſis ſtatutorum nempe Bremenſium Verdenſium & Oldenburgenſium ejusdem Kochii Bremæ 1684. 4to edita, an ſolum vero ſit alia ſpeciminis paulum mutata editio, judicent inſpicientes.

§. VII. Provinciale jus diximus non omnes Comitatuum partes, ſed Ruſtringiam ſolum Transjadanam i. e. Stadt und Budjadinger-Land aut præfecturam Ovelgundenſem obligat. Poſtquam enim hæc terra Comitatui adjecta, primum quidem eam priſcis moribus & ex veteri Friſiorum jure ſuperſtitibus conſuetudinibus judicialia & reliqua civilis comercii negotia componere, Illuſtriſſimi Comites permiſerunt; deinde vero glorioſiſſimæ memoriæ Comes Anthonius Güntherus in denen der Stadt und Budjadinger-Land ertheilten Begnadigungen de A. 1616. d. 22. Novembris, ex rationalibus conſuetudinibus & aliis conſtitutionibus peculiare jus procinciale condere pollicitus eſt, eumque in finen A. 1622. menſe Junio certos articulos incolis hiſce propoſuit, ad quos, ut de receptis hactenus moribus, quæque ad majorem inter ipſos fidem, amicitiam, concordiam evitandamque prolixitatem facere poſſent, monere conceſſit. Quo facto, cum ob belli remoras, inſtitutum hæreret in der ertheilten

heilten Begnadigungs-Erklärung 1637. menſe Martio, iterum promiſſum Jus eſt, ipſumque andem Jus conceptum, reviſum, certa forma onſignatum & promulgatum 1664. ſub ſequenti rubrica: Erneuertes verbeſſertes und onfirmirtes Land-Recht des Stadt und Budadinger Landes / impreſſumque Oldenburgi 664. 4to, in quo articulis 79. diſponuntur præcipui caſus v. g. de admiſſione peregrinorum tit. 1. 2. de tutela tit. 3. de contractibus tit. 10--30. de teſtamentis tit. 31--49. de ſucceſſione ab inteſtato tit. 50--usque ad finem. Cœteræ horum Comitatuum partes ſpeciali jure non gaudent, ſed vel peculiares quasdam conſuetudines obſervant, ex veterum Germanorum & Saxonum moribus procul dubio oriundas, vel ex præſcriptis Juribus Communibus res ſuas diſponunt.

§. VIII. Transjadanum hoc jus Provinciale cum Cæſareo & naturali contulit *Henricus Hodderſen*, hodie Ampliſſimi Regiminis Oldenburgici Adſeſſor & præfectus Sweyenſis, in *Nomotheſia Anthon-Güntheriana* ſive disquiſitione Iuridica juris Provincialis Rüſtringiæ Transjadanæ, Bremæ 1676. 4to paginis 48. edita.

§. IX. Jeverana Dynaſtia, veteris Friſiæ pars, quæ poſt obitum ultimi Comitis Principi Anhaltino ceſſit, præter privilegia urbi Jeveræ a Domina Maria conceſſa, ſuum quoque jus provinciale habet, ab eadem Domina Maria ejusque Sorore Anna, ultimis ſuæ fami-

liæDynaſtis latum,confirmatumque ab iisdem & ſucceſſoribus Comitibus Oldenburgicis. Vid. *Hamelmannus* in Chron. P. III. cap. XVI. p. 458. Rubrica ejus hæc eſt: Von den Söventein Kören / de König Carolus de 4. den gemeenen Freſen / in ein ſünderlick tecken der Frieheit heft gegeſen. Dividitur jus hoc in 3. partes, prout in vernacula ſonant hæc ſunt:

Dat erſte het in ſick / de Ordnung des Rechts / und Parten des Gerichts / und dat tho dem Gerichte gehöret / und vor dem von weltlicken Sacken in den 17. Reſen oder Röhren / 24. naudrechten / und dem 6. willköhren / aller Freeſen begrepen / und ock de eintzige neue dome, welcher Bock nicht ſchall röhren von jenige Sacken / dat Blot andrepende den andern weltlichen Sacken dar Unwille twiſchen den Parten mag weſen.

Darna folget dat Bock der Erffnüſſen / wo de verfallen / wem de na dem Recht geböhren / und wo vele man by lebendigen Live vergeven mag / und wat ſundern jenig Wedderſpreckent / und wo man Teſtamenten macken ſchall in ſin letzte / ſo dat idt mag bliven ungeſtrafet in ſinen Gifften und Gaven.

Darna dat drüdde Bock ſchal hoeden von allen Sacken / dat Blot / Doetſchlag / Wundungen und grundelicken Anfang / andrepent van fronen Mannen bröcke und bote / ſo men dat ſchal holden tho ewigen tiden unverbracken / und dat alle tho nütte und Ehrbahren des gemeinen B:ſtens / und Frede unſrer Lande / dat God allmächtig

mächtig ſo will geven tho enen guden Ende. Amen.

Subjungitur in fine libellus ſupplex Jeveranorum ad Dominum Comitem Anthonium Güntherum, in quo pro nonullis gravaminibus tollendis ſupplices orarunt. Habentur præterea die Jevriſche Land-Gerichts-Ordnung/ de Anno 1604. d. 5. Februar. & aliæ conſtitutiones, quas omnes hic recenſere noſtri non eſt inſtituti.

§. X. Exhibebimus hic potius Syllabum præcipuarum Conſtitutionum, tam ab Illuſtriſſimis Comitibus quam Daniæ Regibus ſucceſſoribus latarum, quarum haud exiguam ab Anthonio Günthero Comite latarum, partem indicat Cl. *Winckelmannus* in Chronico Oldenburgico paſſim: Sunt vero ſequentes.

1) Kirchen-Ordnung de Ao. 1573. à Comite Johanne XVI. publicata & Jenæ eodem anno impreſſa.
2) Jevriſche Land-Gerichts-Ordnung de Anno 1604. den 5. Febr.
3. Ordnung von Beſtraffung der Miſſethäter de Anno 1605. den 10. Febr.
4. Hof-Ordnung de Anno 1605. den 15. Decembr.
5. Teich und Siel Ordnung de Anno 1607. den 12. April, a Comite Anthonio Günthero edita, qualem jam ante Joh. XIV. Parens ejus promulgarat.
6. Ordnung wegen Hochzeiten/ Kindtauffen/

 Kirch-

Kirch-Gang / Begräbniſſen / und Kirch-Meſſen de Anno 1607. den 9. Decembr.

7 Marckt-Ordnung de Anno 1608. den 30. Martii.

8 Peſt-Ordnung de Anno 1610.

9 Policey-Ordnung de Anno 1606. 1607. 1608. 1636.

10. Fluch-Edict de Anno 1636. den 6. April.

11. Ordnung wegen der Ausländer und Herren Bau de Anno 1637.

12. Meſſer-Edict de Anno 1638. den 28. Sept. reperitur in Giſeberti Juſtin. Harmon.

13. Fuhr-Ordnung de Anno 1644. den 23. Maji.

14. Armen-Ordnung de Anno 1640. reviſa & renovata 1657.

15. Feuer-Ordnung de Anno 1657.

16. Ordnung wegen der Kinder-Zucht de Anno 1657.

17. Teich und Siehl-Recht de Anno 1658. den 14. Januar. conſtat articulis 16.

18. Teich-Ordnung de Anno 1681.

19. Vergantungs-Ordnung de Anno 1681. den 10. Maji.

20. Verordnung wegen der neuen Contributions-Anſchlage 1682. den 10. Mart.

21. Verordnung und Inſtruction, wornach ſich die Land-Vögte und Unter-Gerichte in den Graffſchafften zu richten / Copenhagen den 30. Decembr. 1699. mit Taxa von den Gerichts-Sportuln den 12. Febr. 1700.

22. Verordnung wegen des geſtempelten Papiers / Copenhagen 1701.
23. Verordnung / wie es mit den alten Schulden gehalten werden ſoll / den 30. Octobr. 1701.
24. Reſolution, den Gebrauch des geſtempelten Papiers betreffend / Oldenb. den 8. Maji 1703.
25. Advocaten-Ordnung / Oldenb. den 17. May 1703.
26. Verordnung wegen des National-Regiments den 15. Novembr. 1704.
27. Kayſerliche Erläuterung des im Reich publicirten Verbots wegen contrabander Wahren / den 22. Martii 1706
28. Marckt-Ordnung den 20. Sept. 1706.
29. Fuhr-Ordnung den 18. Octobr. 1706.
30. Verordnung wegen der Muſicanten in der Stadt und den Hochzeiten de 13. Maji 1702. extendiret den 24. Octobr. 1707.
31. Verordnung wegen der Herrſchafft Brüch-Gelder in concurſu Creditorum den 19. Aug. 1707.
32. Verbot / daß ſich niemand in fremden Kriegs-Dienſten ohne Conſens begeben ſolle / den 3. Octobr. 1707.
33. Sabbaths-Verordnung d. 14. Novembr. 1701. renovirt 1708.
34. Renovirte Schlachter-Ordnung den 22. Aug. 1656. & d. 28. Febr. 1708.
35. Renovirte Becker-Ordnung und Taxa den 9. Januar. 1657. den 18. Junii 1708.

36. Verordnung wegen Geſchenck und Gabe den 20. Martii 1676. & den 31. Auguſti 1708.

37. Privilegia der zur Marine enrollirten den 22. Octobr. 1709.

38. Befehl / wegen Docirung der Execution Königl. Ordres und Edicten den 10. Januarii 1711.

§. XI. Vetuſtiſſimum cœteroquin juris in his locis ſtatum quod attinet, de Chaucis quoque primis hujus regionis incolis, dicendum erit, quod de cunctis Germanis pronunciat Tacitus: plus apud hos valuiſſe bonos mores quam alibi bonas Leges, cum hic populus præſertim juſtitiæ & fortitudinis laude inclytus fuerit. Neque eandem gloriam ſucceſſoribus ipſorum Saxonibus & Friſiis pro ſimplicitate temporum iſtorum denegandam eſſe cenſemus; & quanquam Legibus utramque hanc gentem non caruiſſe *Lindebrogius*, *Hachenborgius*, *Meibomius*, *Emmius* aliique etiam ante Caroli M. tempora diſerte aſſerant, in Scripturam tamen redactæ non fuerunt teſte Conringio de Origine Juris Germ. cap. XIII. qui etiam de Jure veterum Friſiorum capite XIII. & XXVIII. una cum Ubbone Emmio in hiſtoria rerum Friſicarum paſſim conferendus erit.

SECTIO SEXTA,
De
JURIS DANO-NORWEGICI COMMENTATORIBUS.

§. I.

§. I.

Jus Dano-Norwegicum hodiernum patria lingua conſcriptum, neque ſubtilitate neque multitudine Legum laborat, ut adeo mirum non ſit, quod in illud nulli extent Commentarii, interpretationes aut ſimilia ſcripta, quæ Jus Juſtinianeum ingenti mole fere obruunt. Videtur tamen doctiſſimus *RESENIUS* tale quid meditatus eſſe in *Juriſprudentia Romano-Danica*, quam MStam reliquit citante Cl. Mollero in Hypomnem. ad Barthol. p. 381. Neque præterea quod allegari poſſit, magnopere habemus *Criſtiani Mülleri* Verſionem Iuris Danici notis Iuridicis illuſtratam & itidem ineditam, quam citat Mollerus in Spicileg. Hypomn. p. 15. Diſſertationes vero Academicæ, quas Profeſſores Iuris *Knopperus*, *Plumius*, *Ernſtius*, *Müllerus*, *Theophilus* & alii Hafniæ evulgarunt, a Bartholino & Mollero ad eundem citatæ, vel Ius Romanum tantum, vel Ius Daniæ antiquum ſolummodo explicabunt, id quod inſpicientibus dijudicandum relinquimus. Nonnullas tamen Leges Iuris Danici cum Iure Romano confert auctor de la Relation d'un voyage en Dennemarck 1706. & 1707. in 8vo editæ, cui h. l. addimus *Joh. Volbertum Ebers* I. U. D. & Advocatum Gottorpienſem, cujus extat diſſertatio de differentiis Iuris Civilis & Iutici in capite ſucceſſionis ab inteſtato.

§. II. Ad intelligendum Ius vetus horum regnorum faciunt *Jacobi Raſchii* Memoriale Legum

gum Norwegicarum Hafn. 1650. 4to editum; *Jani Bielckii* ſumma Legum Danico-Norwegicarum Hafn. 1634. 4to Danice vulgata, nec non ejusdem explicatio Legum Norwegicarum, quam ſupra cum ipſo Codice Iuris antiqui A. 1657. 4to editam eſſe diximus, ubi & *Dolmeri* annotationes ad Ius aulæ Norwegicum & *Reſenii* verſionem & notas in utriusque Regni Ius aulicum citavimus. Præter hos extat *Nicolai Jvari Hertzbolmii* diatriba, de lege, quæ fœminas a ſucceſſione repellit Hafniæ 1663. 12mo edita. Ne dicamus de *Chriſtiani Oſterſonii* Gloſſario Iuridico Hafn. 1641. & ſæpius poſt impreſſo, & a Clariſſimo Mollero Iſagog. P. I. cap. XV. §. 14. commendato, cui addi poteſt ejusdem auctoris tractatus de omnibus mulctis in lege Danorum Hafn. 1652. 4to Danice vulgatus. Huc quoque veniunt reliqui Iuris Iutici in Sleſvicenſi Ducatu uſitati adhuc, interpretes, *Canutus* Epiſcopus Wiburgenſis, *Thordo Degbn* Daniæ Legifer, *Eckenbergerus*, *Blutingius*, *Cypræus*, &c. a Mollero l. c. §. XI. XII. XIV. XV. laudati. Speciatim de *Blütingio* notandum, quod obſervationes IX. ad Ius Danicum ſive Cimbricum reliquerit MSStas, quarum prima citatur a Cl. Mollero l. c. p. 271. *Secundæ* rubrica eſt: Uber was für Materien dieſes Jüdſche Land-Recht geſchrieben iſt / in qua defenditur ordo Iuris Iutici contra *Eckenbergerum*. *Tertiæ* von den Dingen und Gerichten / item von mancherley Richtern / und deren Iurisdiction oder Gerichts-Gewalt / und von den Proceſſen im Lowbuch.

Quar-

Quarta agit von mancherley Beweiſen / und 12. Mann-Eyd im Lowbuch. *5ta docet*, daß der XII. Mann-Eyd in König Woldemari Jüdſchen Lowbuch nicht erſt erfunden / und eingeführt / und zu was guter Meinung und Intention ſelbiges geſchehen iſt. *6ta* von Hoefd / Lowhoefd und Verjährung und von deren Interruption im Jüdſchen Lowbuch. *7tima* wie man nach dieſem nicht unbewegliche Güter beſtändig verkauffen / und dieſelbe für erſt den nechſten Freunden anbieten ſoll / und von den Beyſpruch- und Abtritts-Eyd. *8va præcipit* von der Schöte / und wie nach dieſem Rechte der Eigenthum der unbeweglichen Güter von den einen auf den andern gebracht wird. *9na* von Gewehr der verkaufften Güter Habetur præterea ejusdem Blütingii tractatus MStus ſub hoc titulo: *Celeberrimi & Clariſſimi Advocati Blütingii tractatus de ſucceſſionibus ſecundum Jus Danicum in XXXV. Capita diviſus*, cui denique addimus tractatum MStum von Schiffbrüchlichen Gütern aus dem Däniſchen Lowbuch zuſammen getragen durch Herrn *Erich Krabben*.

CAPUT IX.

DE

SCRIPTORIBUS, QUI RES ECCLESIASTICAS DANO-NORWEGICAS expoſuerunt atque illuſtrarunt.

§. I.

ANtequam de ſtatu Regnorum Daniæ & Norwegiæ Eccleſiaſtico & ſcriptoribus huc pertinentibus agimus, neceſſe eſt, ut

eos

eos quoq; ſcriptores beviter indigitemus, qui EthnicæDanorumIdololatriæ,Deorumq;,quos iidem coluerunt, Hiſtoriam literis tradiderunt. Generalem rerum harum, quæ paganiſmum Daniæ concernunt, hiſtoriam haurire licet ex *Trogillii Arnkielii*, Præpoſiti quondam in Holſatia Apenradenſis, ſcripto vernaculo, quod Hamburgi 1690. & 1704. in 4to prodiit, ſub ſequenti titulo: Cimbriſche Heyden-Religion, was unſere Vorfahren Cimbriſcher Nation, die Sachſen / Güthen / Wenden und Freſen / nebſt ihren Religions-Verwandten denen Teutſchen und Nordiſchen Völckern für Götter / Opffer / Götzendienſte / Gebete / Feſt-Tage / Altarn / Haynen / Kirchen / Prieſter / Obrigkeit / Eheſtand / Schulen / Zaubereyen / Weiſſagungen / Oraculn, Tauffe / Leichbegängniſſe und Begräbniſſe gehabt / desgleichen / was ſie von der Welt-Schöpffung und Regierung / von guten und böſen Engeln / von Land-ſtraffen und Trübſalen / vom Tode und der Seelen Unſterblichkeit / der Auferſtehung der Todten / Untergang der Welt / und ewigen Seeligkeit / auch Verdammniß geglaubet. De quo opere conferenda erunt Acta Erudit. Lipſ. A. 1704. menſe Iulio p. 332. ſeqq.

§. II. Specialem Deorum atque Idolorum Danicorum veterum hiſtoriam ſuppeditabunt duæ, quas vocant, *Eddæ*, altera a *Sæmundo Sigfuſonio*, Parocho in Islandia Oddenſi ante ſecula plura Rythmis Islandicis, ſed obſcuris, conſcripta, & cum variorum ſcholiis a *Petro Job. Reſenio* Hafn. 1665. 4to vulgata. Altera

era a *Snorrone Sturleſonio*, ſermone patrio congeſta, & ab eodem Reſenio Hafniæ 1665. cum Latina Magni Olai, Paſtoris in Islandia Lauſanienſis verſione A. 1629. concinnata, edita, in qua Mythologia gentium Septentrionalium pagana ac poetica antiqua 78. Fabulis complexa comprehenditur. His addenda omnino ſunt, quæ de gentium Arctoarum Diis, Adamus Bremenſis, Saxo Grammaticus, Snorro Sturlæus, Olaus Wormius, Thomas Bartholinus & alii recentiores congeſſerunt, quorum loca enarrat Clm. Mollerus in Introduct. ad Hiſtor. Cherſoneſ. Cimbr. P. II. p. 6. ſeq. Nec pauca de veterum Septentrionalium Idololatria, ſpeciatim *Taurolatria* explanaturus eſt Vir Clariſſimus *Thomas Broderus Bircherodius*, Ottonienſis in Fionia Gymnaſii Prof. Publ. prelo enim maturum premit librum, quem *Taurum Cimbricum* inſcripſit, in quo XXX. capitibus animalis hujus cultum apud antiquos Gothos, Cimbros, Septentrionales, aliosque orbis terrarum populos uſitatum olim fuiſſe erudite demonſtrabit. Huc quoque pertinet *Arngrimi Jonæ* Epiſtola de Diis populorum Borealium ad Steph. Johannem Stephanium 1632. ſcripta, quam exhibet Stephanus in notis ad Saxonem p. 141. ſeqq.

§. III. De feſtis populorum Septentrionalium Ethnicorum non memini quenquam ex inſtituto egiſſe, ſed conſulendi potius ii h. l. ſunt, qui generatim de feſtis variorum populorum commentati ſunt. Unus tamen hic nominandus

minandus eſt *OTTO SPERLINGIUS*, Conſiliarius Regius, qui Hafniæ A. 1711. 8vo edidit: *diſſertationem de nomine & feſto JUEL tam antiquorum quam hodiernorum Septentrionalium.* In initio ſtatim diſſertationis, quam Anno 1710. durante Natalitiorum feſto conſcripſit, miratur Cl. Sperlingius, cur majores Danorum Chriſtiani & hodierni eorum poſteri feſtum hoc Ethnico nomine inſigniri patiantur; cauſam vero hujus denominationis eam fuiſſe arbitratur, quod Dani gentilium ſuperſtitionibus adhuc addicti, putaverint, ſancti quid ac divini huic nomini ineſſe, conſueverant enim gaudia ſua tam in ſacris, quam extra ſacra per particulas Ju, Ju, Jo exprimere & exponere, & has voces poſtea, cum Chriſto nomen dederunt, omittere vulgus noluit. Quod vero ad originem vocis attinet, eam nec a Julio Cæſare, quod Johanni Nicolao Beenio arriſit, nec a Celtica voce hiul, quæ rotam ſignificat, nec a Græcorum Canticis ἰȣ́λοις Cereri peculiaribus, ſed potius a votiva & feſtiva veterum gentilium acclamatione, quæ per *JU* fiebat, derivandam eſſe cenſet. Tempus anni, quo tempus illud celebratum a paganis fuit, alii Januarium ſub ingreſſu Solis in Aquarium, alii ſub ingreſſu Solis in Saturnum volunt: Sperlingius tamen menſe Februario celebratum illud fuiſſe non uno argumento demonſtravit, præſertim cum Februarius veteribus Blüdemaaned i. e. menſis gaudiorum dictus fuerit, propter feſtum JUEL, quod in illum incidebat.

Ad

Ad diem tamen 23. Decembris poſtea translatum fuit feſtum hoc per Haquinum Adelſtanum, Norwegorum Regem ſeculo præſertim X. Denique de ludis huic feſto propriis agit Sperlingius eosque tres potiſſimum fuiſſe monſtrat, primum nempe Julebock / alterum Blindekon / & tertium denique Ballerune / quos etiam hodienum in noſtris terris interdum a pueris ludi non ſine riſu cernimus atque ridemus.

§. IV. Hactenus eos enarravimus Scriptores, qui cultum Danorum gentilium nobis breviter repræſentarunt; progrediendum nunc ad eos erit, qui Danorum Chriſtianorum ritus, conſuetudines & cultum expoſuerunt. Chriſtiana autem religio Imperatoris Ludovici I. induſtria in Dania primum reſonuit, cum Rex Danorum Haraldus Fraterque ejus Ericus Moguntiæ baptizati fuiſſent. *Alſtedius* in Chronologia p. 321. & 328. duas ponit æras converſionis Danicæ ad fidem Chriſti, alteram ſub Ludovico I. A. C. 826. alteram Ethniciſmi prorſus per Daniam expulſi Haraldo V. regnante A. C. 989. ita, ut Chriſtianiſmus cœperit ſub Ludovico I. confirmatus autem fuerit tempore Haraldi, in quo tamen Chronologi non usque adeo conveniunt. Pluribus in converſionis Danicæ tempora inquirit ſæpe laudatus Cl. Mollerus in Introduct. Part. II. cap. II. qui nobis ergo hic otia fecit. Varia huc conferunt Broderi Collectanea hiſtoriæ Danicæ in Bibliotheca Hamburg. Joh. latentia, quæ inci-

piunt ab A. C. 826. quo Dani Chiſtianam religionem amplexi Chriſto nomen dederunt, ſub Haraldo Klago Rege. Chronici enim vicem hæc Collectanea ſuſtinent usque ad annum 1528. De tempore, quo Chriſtiana religio in Norwegiam introducta fuerit, certius quid conſtare arbitror, præſertim cum in eo fere omnes conveniant, quod doctrina Chriſtiana A. C. 994. Olao Rege ſceptra tenente & in Anglia baptizato introducta & ſtabilita ſit. Metropolis omnium Eccleſiarum per Norwegiam, Gronlandiam & Islandiam primum fuit Nidroſia, urbs, (hodie Drontheim appellata) quæ tamen Epiſcopalis ſedes poſtea Bergam in Norwegia translata eſt, ita quidem ut Islandia duos ſingulares obtinuerit Epiſcopos, quorum alter Scalholti, alter Holæ ſedem fixit.

§. V. Præter Adamum Bremenſem, Joh. Iſaacium Pontanum, & eos, qui Apoſtolorum Danicorum vitas & Hiſtoriam ſcriptis conſignarunt, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Regnorum Daniæ & Norwegiæ generalioris conſpectum dabunt *Andr. Severini Velleji* Hiſtoria Eccleſiaſtica M. Adami, Canonici Bremenſis Hafn. 1579. edita & *Jonæ Rami* Kircke og Vardſlige Hiſtorie in fol. vulgata, nec non *Jani Birckerodii* lumen Hiſtoriæ ſacræ editum, qui, licet generaliores ſunt, de primis tamen Chriſtianiſmi in Dania incrementis non parum ſedulo notarunt. Adde his, ſi placet, *Johannis Slangendorpii* orationem: *de initio & incremento religionis Chriſtianæ in Dania* A. 1590. die 15. Decembr.

Hafniæ

Hafniæ recitatam ibidemque 1591. 8vo editam. Nuper hiſtoriam converſionis Danorum ex gentiliſmo adverſus Godofredi Arnoldi obtorſiones vindicavit *Fridericus Arnkiel*, Trogillii F. in tractatu vernaculo Glückſtadii 1712. in 4to ſub titulo: Rettung des erſten Nordiſchen Chriſtenthums wider des Hrn. Gottfried Arnolds vielfältige Verſtell- und Verdrehungen edito. Tractatus hic XII. capitibus abſolvitur, quorum I. agit de converſione Haraldi Danorum Regis & miniſterio Sancti Ansgarii. II. De converſione Danorum regnante Haraldo Blaatand ſive cœrulei dentis facta III. de bello Danorum in Anglia regnante Suenottone geſto IV. de Livonorum, Finnorum, Laplandorum & Norwegorum converſione V. de bello contra Dithmarſos geſto. Reliqua quæ reſtant capita hiſtoriam Reformationis in Dania & Holſatia, nec non noviſſimos Quakerorum in Holſatia motus exponunt atque illuſtrant. Præter hos omnes accuratam plantati in regnis Borealibus Chriſtianiſmi notitiam procul dubio dediſſent, ſi prodiisſent *Johannis Pauli Reſenii* Vinea Septentrionis ſeu Annales Eccleſiæ per Septentrionem Chriſtianæ, qui MSSti aſſervantur in Bibliotheca Academica Hafnienſi & *Thomæ Bartholini*, Junioris, Antiquitates Regnorum Borealium Eccleſiaſticæ aliquot voluminibus meditatæ, promiſſæque in libro de cauſis contemptæ a Danis adhuc gentilibus mortis.

§. VI. Statum Eccleſiarum Daniæ & Nor-

wegiæ, earumque ordinationem & regimen, cum Pontificiæ adhuc ſubjectæ erant ſuperſtitioni, cognoſcere licebit ex libris eorum Eccleſiaſticis & Liturgicis, de quibus ſequentes hactenus mihi innotuerunt *α*) *ABSALONIS HUIDII*, Epiſcopi Röſchildenſis & Archi-Epiſcopi Lundenſis *Jus Eccleſiaſticum* ex Mandato Waldemari I. in Comitiis Ringſtadienſibus promulgatum A. C. 1171. Hoc Jure Eccleſiaſtico uſi ſunt Dani, donec ſeculo XVI. Chriſtianus III. abrogatis miſſarum, ſuperſtitionum & abuſuum ſordibus Ordinationem aliam componi edique juſſit, & clare hoc Jus teſtatur, etiam Danis ante reformationem decentes in adminiſtrandis ſacris ritus nunquam defuiſſe, quemadmodum de eo judicat Petr. Terpagerus in præfatione ſatis ampla Rituali Eccleſiarum Daniæ & Norwegiæ a ſe latine verſo & Hafniæ 1706. 8vo edito, præfixa. *β*) *BREVIARIUM ECCLESIÆ RIPENSIS*, quod concinnavit *Homerus*, Eccleſiæ illius ab Ao. 1186. usque ad emortualem Epiſcopus. Hic ut breviarium hoc eo accuratius cum verbi divini præceptis, Eccleſiæque priſcæ Canonibus congrueret, ſolus illi conſcribendo manum admovere noluit, ſed ex univerſo Regno Daniæ Viros pietate & eruditione præſtantes (& hos inter Johannem & Bentonem Canonicos in Scania Dalbyenſes) evocavit, horumque ope & conſilio ſublevatus ſacrum laborem feliciter abſolvit. confer: Mollerus in Iſagog. Part. III. p. 232. ſeq. qui tamen neſcit, utrum brevia-

breviarium hoc typis exſcriptum ſit, nec ne γ) *BREVIARIUM LUNDENSE*, quod *Chriſtiani Petri*, Canonici Lundenſis & Cancellarii Archi-Epiſcopalis cura emendatum prodiit Pariſ. 1517. 8vo. δ) *BREVIARIUM RÖSCHILDENSE à Boethio Achonis*, *Alberto Laurentio* & Canonicis Roſchildenſibus emendatum & editum Pariſ. 1517. 4to recumſumque ibidem 1519. 8vo. ε) *DIURNALE ROSCHILDE* Pariſiis 1511. 8vo excuſum. ζ) *BREVIARIUM ECCLESIÆ SLESVICENSIS* juſſu Godſchalci ab Ahlefeldt, (Epiſcoporum Pontificiorum ultimi) ſtudio vero ac opera *Beſzeconis*, Presbyteri hujus Eccleſiæ Pariſiis 1512. impreſſum. Hoc breviarium librum rariſſimum, & ob preces & meditationes, quæ in illo occurrunt, devotiſſimas hymnosque elegantiſſimos merito commendandum eſſe cenſet J. A. Cypræus in Annalibus Epiſcop. Sleſvicenſ. lib. III. cap. V. p. 415. η) *MISSALE NORWEGICUM* ſecundum ritus Eccleſiæ Nidroſienſis, cum præfatione *Erici Walckendorffii*, Archi-Epiſcopi Nidroſienſis Hafn. 1519. fol. ϑ) *BREVIARIUM NIDROSIENSIS ECCLESIÆ* ejusdem Walckendorpii mandato Hafn. 1529. 8vo typis exſcriptum. Sed de his aliisque libris Eccleſiaſticis fuſius commentabor in ſchediaſmate meo de libris Latinorum Eccleſiaſticis auctius propediem & emendatius edendo.

§. VII. Reformationis Danicæ hiſtoriam Univerſam nemo hactenus, quantum ego quidem ſcio, conſignavit. Conferri tamen huc meretur *Conradi Aſlaci*, Oratio Theologi-

co-Hiſtorica de reformatione Lutheri & ſtatu religionis in Dania ab A. 1517--1617. cum centum annorum Chronologia latine Hafniæ 1621. Danice autem 1622. 4to edita. Nec pauca huc pertinentia obſervavit M. *Chriſtianus Frider. Lemmelius* in hiſtoria Bugenhagiana Hafniæ 1706. 4to vulgata. His adde pauca ea, quæ de reformationis in Dania hiſtoria nuper notavit *Fridericus Arnkiel* in tractatu ſupra citato. Omnium tamen induſtriam ſuperat, *Magni Mathiæ*, Lundenſis in Scania Epiſcopi, tractatus de prima Chriſtianiſmi in Daniam introductione, religione ibidem reformata, ac Scaniæ Epiſcopis, Archi-Epiſcopis & Superintendentibus, a Thoma Bartholino, Thomæ filio, Thomæ nepote Hafn. 1710. 8vo cum brevibus Prolegomenis editus; hunc una cum *Jonæ Turonis*, Canonici Lundenſis, libro de propagatione & reformatione religionis Chriſtianæ in Dania, affecto, memorat Catalogus Lyſchandri MStus de ſcriptoribus Regni Daniæ & provinciarum ejus ad A. C. 1610. perductus. Univerſam quoque Daniæ & Norwegiæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam auctoritate Regis molitus eſt *HECTOR GOTTFRIED MASIUS*, Concionator quondam aulicus, teſtibus Novis Literariis Maris Balthici Anno 1699. p. 57. Nec exiguam Hiſtoriæ Reformationis in Dania affunderet lucem, ſi prodiret, *Severini Lintrupii*, deſignati Profeſſoris Theologiæ Hafnienſis, Oratio Jubilæa, de Halcyoniis Eccleſiæ Borealis Dano-Norwegicæ Anno 1702. d. 31. Octobr. recitata, qua poſt memorata

morata contra Romanenſes Reformationis Lutheranæ miracula, felicitatem Eccleſiæ Septentrionalis Dano-Norwegicæ a perſecutionibus, hæreſibus, ſchiſmatis & contentionibus domeſticis, apoſtaſia Principum ac Doctorum huc usque per DEI gratiam immunis demonſtravit. Editionis hujus orationis ſpem nobis fecerunt Nova Literaria Maris Balthici A. 1703. menſ. Februar. p. 44.

§. VIII. Poſtquam vero ſingulari DEI beneficio lux Evangelii Daniam colluſtraverat, ſtatim priori decennio poſt reformationem vix elapſo, de ſtatu Eccleſiaſtico rite & καθ' εὐταξίαν ordinando cogitatum eſt. Chriſtianus enim III. glorioſiſſimus tunc temporis Danorum Rex, ejectis e Regno Epiſcopis, Monachis & Clericis omnibus Romanæ ſuperſtitioni addictis, per *Johannem Bugenhagium*, Pomeranum, Theologiæ Doctorem & Profeſſorem Wittebergenſem, conſcribi Hafniæque edi juſſit: *Ordinationem Eccleſiaſticam Regnorum Daniæ & Norwegiæ, ac Ducatuum Sleſvici & Holſatiæ.* Fallitur igitur *Gisbertus Voetius*, & quem decepit, *Gerhardus Meyerus*, qui juſſu Chriſtiani I. Ordinationem hanc publicatam eſſe perperam arbitrati ſunt, caſtigati proinde a *Petro Terpagero* in præfatione ſua ad Rituale Eccleſiarum Daniæ & Norwegiæ latine a ſe verſum & Hafniæ editum. Anno autem 1539. Ordinatio hæc in Danicam linguam transfuſa, die 14. Junii in Comitiis Ottonienſibus reviſa, in univerſo Regno promulgata & tandem A. 1542.

articulis 27, quos ſeptem Daniæ Epiſcopi Ripæ condiderant, aucta eſt. Prodiit Ordinatio hæc Danice curante *Petro Palladio*, Ripenſi, Sælandiæ Epiſcopo, Hafniæ 1553. & 1582. Germanica quoque ejusdem verſio Hafn. 1617. & 1630. excuſa nonnullis memoratur. conf. Cl. Mollerus in Introductione ſæpius laudata P. II. p. 90. ſeq. & *Petrus Terpagerus* in præfatione citata, ubi varia de hac Ordinatione diſſeruntur. Huic a Chriſtiano III. tam feliciter incepto & ordinato operi ſymbolam poſtea adjecit Glorioſiſſimæ memoriæ Rex Fridericus II. qui A. 1582. Ordinationem hanc Eccleſiaſticam pluribus articulis, præcipue de Conjugio & cauſis inde dependentibus auxit.

§. IX. Præter hanc Ordinationem circumferuntur etiam Auguſtiſſimi Regis *Chriſtiani IV.* Conſtitutiones Eccleſiaſticæ & matrimoniales, Danico idiomate exaratæ & Hafniæ 1607. & 1658. in 4to vulgatæ ſub titulo: Norgis Kirke-Ordinantz; Has, ni fallor, germanice vertit M. *Joachimus Schröderus*, verbi divini quondam apud Roſtochienſes Miniſter, qui Roſtochii A. 1660. in 12mo librum vernaculum edidit ſub ſequenti titulo: Geiſtlicher Nord-Stern / oder Ihr. Königl. Maytt. Chriſtiani IV. höchſt-rühmliche Verordnung vom Amte und Gewalt der Kirchen wider die unbußfertigen Sünder / ſo wol auch wie die Geiſtlichen in ſeinem Königreich ſich zu verhalten. Omitto varias Conſtitutiones & decreta, quibus diſciplina Eccleſiaſtica egregie emendatur atque ſtabilitur, quæ

variis temporibus ediderunt Chriſtianus IV. Fridericus III. & Chriſtianus V., de quibus dolendum profecto eſt, quod tot & tam ſalutares Conſtitutiones huc usque in unum volumen collectæ editæque non ſint. Publicationem harum Conſtitutionum volantium nec facile obviarum molitus aliquando fuit *Jacobus Breyerus*, Sereniſſimi Ducis Holſatiæ, cum obiret, Conſiliarius Status, neſcio tamen quare a cœpto opere poſtea deſierit. Denique omittendum neutiquam eſt Rituale Eccleſiarum Daniæ & Norwegiæ, quod juſſu & auſpiciis Chriſtiani V. Danice primum ut opus plane novum prodiit ſub titulo: Danmarckis og Norgis Kirke-Ritual Hafn. 1685. 4to. Glorioſiſſimus Rex Chriſtianus V. poſt conſummatiſſimum Jus Danicum & Norwegicum juſſu ſuo promulgatum, hoc quoque Eccleſiis Danicis poſuit Rituale omnibus numeris abſolutum & IX. capitibus prolixis comprehenſum, in quibus omnia ea, quæ ad officium Paſtorum & ordinem ceremoniarum pertinent, egregie continentur. Latine Rituale hoc vertit, Hafniæque A. 1706. 8vo edidit *Petrus Terpagerus*, SS. Theol. Lector Ripenſis, addita præfatione ſatis ampla, in qua Origines Juris Eccleſiaſtici Danorum fuſius exponit.

§. X. Enarratis Conſtitutionibus & Ordinationibus Eccleſiaſticis progrediendum nunc erit ad eos Scriptores, qui de Conciliis ac Synodis in Dania habitis notitiam nobis reliquerunt. Verum dolenda eſt Danicorũ ſcriptorum

rum in hoc argumento penuria; non enim memini quidpiam de Conciliis & Synodis Danicis editum, niſi pauca ea, quæ ſub titulo: *Synodalium* ſive Actorum Synodi provincialis in Sælandia A. 1610. habitæ edidit *Petrus Winſtrupius* Hafniæ 1610. 8vo. Huc etiam pertinent Synodalia varia ſpeciatim Sialandiæ, inde a reformatione ſerie continua deducta, quæ MSSta aſſervata olim ſunt, in Bibliotheca Illuſtris Bentzonii, S. R. M. Conſiliarii intimi, ut me docet Catalogus Bibliothecæ ejus Anno 1708. Hafniæ editus. Teſtatur etiam Lyſchander, *Magnum Mathiæ*, Paſtorem quondam Borreboviènſem MSSta poſt ſe reliquiſſe Synodalia Superintendentium omnium poſt reformatam religionem Lundenſium in unum faſciculum collecta. Quibus omnibus addi poſſunt Monita Synodica Latina Epiſcoporum Aalburgenſium ab A. 1642--1693. quæ MSSta, ſi recte memini, ſervantur Hafniæ in Bibliotheca Clariſſimi Friderici Roſtgaardii, Conſiliarii Regii. Unicum ſaltem h. l. addo M. *Andræam Frölundt* qui Hafniæ 1705. Orationem Jubilæam edidit: de potioribus actis Eccleſiaſticis in Dania A. 1604. factis.

§. XI. Neque prætereundos h. l. cenſemus illos, qui priorum Daniæ Apoſtolorum vitam, hiſtoriam & res geſtas ſcriptis conſignarunt. Eos vero cum a Johanne Mollero in Introduct. Part. II. integro capite ſecundo recenſitos eſſe conſtet, ad ejusdem librum Lectorem benevolum ablegamus, in quo omnia

ſane,

ſane, quæ huc pertinent ἀκριβῶς obſervata atque notata deprehenduntur. Unicum ſaltem hoc addimus Hiſtoriam Tri Apoſtolatus a Philippo Cæſare antea editam, recuſam eſſe in T. II. Memoriarum Hamburgenſium a Clmo. *Joh. Albr. Fabritio* Hamburgi in 8vo editarum.

§. XII. Reſtat ſectione hac eos etiam commemorare Scriptores, qui Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, Præſulum & Antiſtitum Daniæ recenſum ſuppeditarunt. Generalem Epiſcoporum Daniæ Hiſtoriam conſcripſit Illuſtris *Haraldus Huitfeldius*, Regni Daniæ, dum viveret, Cancellarius, edidit enim hic: Krønike over Danmarks biſkker ſive Hiſtoriam Epiſcoporum Regni Daniæ, quæ primum prodiit Hafniæ 1599. 4to poſtea ibidem recuſa 1652. fol. non 1655. ut vult Cl. Struvius in Biblioth. Hiſtor. p. 729. Specialem *Sialandiæ & Röſchildenſium Epiſcoporum* Catalogum Chronologicum conſcripſit: *Severinus Olai*, Canonicus Roſchildenſis, qui tamen ἀνέκδοτος huc usque eſt, & a Lyſchandro citatur in Indice Scriptorum Danicorum MSto. Vernaculum eorundem ſyllabum vulgavit *Janus Severini Noriſſonius* Hafn. 1649. 8vo cui addes recenſum Epiſcoporum Sialandiæ qui a tempore Reformationis usque ad Joh. Suaningium floruerunt obvium in Inſcriptionibus Reſenianis p. 249. Fuſior eſt Elenchus Epiſcoporum Roſchildenſium ab initio fundationis hujus Epiſcopatus, (quæ in A. 1012. incidit.) usque ad Annum 1650. qui comparet in *Suaningii* Chronologia Danica

mul-

multoties laudata. *Ottonienſium in Fionia Præſulum* ſeriem una cum vitis eorum conſignavit *Cornelius ab Hamsfort*, Junior, ſed editus hujus labor nondum eſt, ſed MStus in variorum ſcriniis deliteſcit. Nomina tamen Epiſcoporum Ottonienſium, Aarhuſienſium & Ripenſium ab A. C. 940--1650. exhibentur in Suaningii Chronologia Danica p. 66. ſq. *Aarhuſienſium* in Jutia Epiſcoporum Catalogum MStum poſt ſe reliquit *Johannes Petræus*, Canonicus Aarhuſienſis. Hujus tamen jacturam reſarciet ſeries horum Epiſcoporum a *Jano Laurent. Wolfio* in Encomio Regni Daniæ p. 57. exhibita, cui adde *Henrici Blichfeldi*, Paſtoris Aarhuſienſis ad templum D. Virginis A. 1703. defuncti: Prima fundamenta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ perſonalis, ſive Epiſcoporum, Theologiæ Lectorum, Paſtorum, Rectorum & Conrectorum Aarhuſienſium, inde a tempore reformationis recenſum, quem tamen interve nientibus fatis imperfectum reliquit. *Ripenſium Epiſcoporum* ſeriem & vitas concinnavit *Joh. Laurentii*, D. Medicinæ & Canonicus Ripenſis Hafn. 1591. in 4to & 1704. 4to auctior per Petrum Terpagrium, cui adde *Chronicon Epiſcopatus Ripenſis* auctoris incerti à Petro Terpagrio, Theologiæ ad Cathedralem Eccleſiam Lectore, Hafn. 1708. 8vo editum, in quibus varia de Eccleſiæ hujus Epiſcopis alibi non obvia reperiuntur. Sola Epiſcoporum Ripenſium nomina comparent in *Jani Laurentii Wolffii* Encomio Regni Daniæ p. 12. Plura quoque

pro-

procul dubio de Epiſcopis Ripenſibus expoſuiſſet *Andreas Severinus Vellejus*, ſi Chronicon ejus rerum Dioeceſeos Ripenſis ſub XXXIV. Epiſcopis memorabilium, quod paravit, lucem publicam adſpexiſſet. *WIBURGENSIUM & AALBURGENSIUM* in Jutia Epiſcoporum nomina expoſuit ſupra laudatus Janus Laurent. Wolfius in Encomio Regni Daniæ p. 44. & pag. 80.

§. XIII. NORWAGICORUM CLERICORUM notitia petenda eſt ex M. *Gerhardi Henrici Miltzovii*, Presbyterologia Norwegica, Vos-Hardangriana, quam ex variis & vetuſtis monumentis, membranis, chartis, ſchedis, adverſariis & MSStis eruit ediditque Hafniæ 1679. Epiſcoporum Catalogus uberior & prolixus a Clariſſimo *Torfæo* in Norwegia ſua Hafn. 1711. fol. edita exhibetur. *Henrici Hoyeri* autem, præſulis Bergenſis, Hiſtoria Epiſcoporum Norwegiæ MSta memoratur Huitfeldio in præfatione ſua ad Chronicon Epiſcoporum Regni Daniæ. *SCALTHOLTENSIUM* in Islandia Epiſcoporum Catalogus MStus *ἀνώνυμος* in Bibliothecæ Reſenianæ Catalogo pag. 272. memoratur. *GRONLANDIÆ* Præſulum ſeriem & ſyllabum exhibet *Thormodus Torfæus* cap. XXX. Gronlandiæ antiquæ ab ipſo Hafn. 1708. 8vo editæ a p. 241--257. *FEROÆ* Inſulæ, ſeu *FÆREYENSIUM* Epiſcoporum quorundam recenſum ex antiquis annalibus excerptum ſuppeditat *Thormodus Torfæus* ad finem Commentationis ſuæ de rebus Færeyenſium Hafn. 1695.

1695. 8vo vulgatæ, ubi XIII. Epiſcoporum nomina, qui in Inſula hac ab A. C. 1157. usque ad A. C. 1365. ſacris præfuerunt, enarrat. *ORCADENSIUM* denique *EPISCOPORUM* Elenchum ſiſtit, idem Cl. *Torfæus* libro II. Hiſtoriæ rerum Orcadenſium a ſe Hafniæ 1697. fol. editæ. Eorundem quoque ſeriem licet ob inſtrumentorum defectum interruptam legere licebit in *Jacobi Wallace* deſcriptione Inſularum Orcadenſium Londini 1700. 8vo edita.

§. XIV. Inter Epiſcopos Daniæ celebriores eminet præ cœteris *ABSOLON HUIDIUS*, familia apud Danos nobiliſſima natus, poſt Adzerum A. 1157. Epiſcopus Roſchildenſis, poſt Eskillum autem A. 1178. Archi-Epiſcopus Lundenſis conſtitutus. Ortum ejus & proſapiam ſingulari libro perſecutus eſt Martinus Petræus, Danus, edito tractatu vernaculo an bitzß Abſalom og Eßbern Snares Her kanſt ſive, de Epiſcopi Abſolonis & Domini Esberni Snaris, Abſolonis fratris ortu & proſapia Hafn. 1589. 4to, quem librum Cl. Otto Sperlingius in notis ad Abſolonis teſtamentum vocat, fabulis anilibus plenum. Reliquos auctores, qui de vita ejus, laudibus ac rebus geſtis, plura ſuggerent, citat Mollerus in Hypomnematibus ad Bartholini librum de Script. Dan. p. 154. Occaſione hujus Abſoloms de Teſtmento ejus quædam h. l. dicenda erunt. Ex MSStis optimis illud eruit, notisque eruditis illuſtratum edidit *Otto Sperlingius*, Conſiliarius Regius, Hafn. 1696. 8vo. Teſtamentum hoc, quod

quod ante obitum ſuum confici curavit Abſolon adhibitis XI. teſtibus, continet voluntatem ejus extremam, qua ratione aurum, argentum, gemmas, pecuniam numeratam, bonaque alia tam mobilia quam immobilia a ſe relicta dividi, & quibus voluit donari atque erogari. Notæ Sperlingii ad hoc Teſtamentum eruditiſſimæ ſunt, quippe in quibus varia ad antiquitates Danicas illuſtranda ſcitu digniſſima continentur; ſic v. g. in initio ſtatim notarum obſervat Cl. editor, Archi-Epiſcopum hunc minus accurate latino idiomate vocari Abſolonem, cum patrio nomine Axelii gaviſus fuerit, pro quo Clericos & Eccleſiaſticos nominis Danici vim non intelligentes Abſolonis nomen finxiſſe putat, id quod & aliis Axelii nomine inſignitis eveniſſe probat. De vita Abſolonis notat Sperlingius, eum Patre Adzero, avo Skialmo, Proavo Tockone & abavo Slagone progenitum fuiſſe, eique merito ſummam deberi laudem, eo quod ipſius beneficio effectum ſit, ut Hiſtoria Danica ſcriptis mandari aliquando cœpta fuerit, cum Saxonem Grammaticum & Suenonem Aggonis in contubernium ſuum adſciverit, eosque, ut de ſcribenda Hiſtoria Daniæ conſilium caperent, ſedulo hortatus fuerit, ſuaſeritque. Ab eodem Sperlingio expectamus adhuc Genealogiam Abſolonis antiquam, cujus ſpem fecit in notis ad Teſtamentum Abſolonis p. 75. 76. Denique monemus Archi-

U Epiſco-

Epiſcopi *Jani Grands Hiſtoriam* Danice Hafniæ 1599. in 4to editam eſſe.

§. XV. Huc etiam omnino ſpectant Scriptores, qui de Monaſteriis Daniæ eorumque hiſtoria commentati ſunt. Sed de iis nihil huc usque ſpecialiter editum eſſe memini, fata enim obſtiterunt, quo minus *Ludovicus Winslovius* Hiſtoriam Monaſteriorum Daniæ omnium, eorumque fundationum, inſtitutorum, progreſſuum & privilegiorum ſtrictam enarrationem a ſe teſtibus Novis Literariis Maris Balthici A. 1704. p. 285. promiſſam, evulgare potuerit.

§. XVI. Antequam Caput hoc claudamus, non pigebit de Conſiſtorii Regii Münſterdorpienſis, quod in Holſatia hodienum ſupereſt, origine, antiquitate & ordine quædam hic notare. Originem ſuam traxit prædictum Conſiſtorium, a Societate ſive Fraternitate Calendarum, quam A. C. 1304. Henricus Comes Holſatiæ inſtituit in Münſterdorp pago Welnæ prope Itzehoam urbem. Coluerunt & ut fratres venerati ſunt hanc Calendarum ſocietatem multi illuſtres Principes, videlicet; *Henricus I.* Holſatiæ & Stormariæ Comes, fundator, *Gerhardus Magnus*, filius Henrici I. Fundatoris, *Giſelbertus*, filius Henrici I. Fundatoris, *Adolphus Domicellus*, *Henricus II*, filius Gerhardi M., dictus Ferreus, *Henricus III*, Electus Oſnabrügenſis Epiſcopus, Henrici Ferrei filius, *Nicolaus*, Holſatiæ & Stormariæ Comes, *Adolphus*, Iohannis Largi, Comitis Wagriæ, filius,

filius, *Gerhardus*, Dux Sleſvicenſis, Henrici Ferrei Filius, *Albertus*, Henrici Ferrei filius, *Albertus*, Dux Megapolenſis, Rex Sueciæ Exul. Fraternitatem hanc relicta Vidua Henrici Fundatoris cum filiis Gerhardo & Giſelberto Vicaria ornarunt, & duobus manſis dotarunt ad Capellæ ædificationem omni jure feudi. Datum eſt Diploma, 1305. Itzehoæ in Vigilia S. Catharinæ Virginis. Hanc fundationem Capitulum Hamburgenſe, per Ludovicum Hamburgenſis Eccleſiæ Præpoſitum confirmavit Hamburgi 1306. quo anno etiam Collegii Sanctarum Monialium Itzehoenſium una cum ejusdem Collegii Præpoſiti Ottonis, & Heilradis Prioriſſæ conſenſus acceſſit. Utramque anno ſequenti nempe 1307. corroboravit Giſelbertus Bremenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus. Novis poſthæc Privilegiis aucta eſt hæc Societas per Gerhardum & Giſelbertum Holſatiæ Comites A. 1337. qui anno 1338. Burchardi Bremenſis Archi-Epiſcopi ulteriorem confirmationem & immunitatem hanc pro Fraternitate hac exorarunt. Porro Eccleſia Crempenſis Anno. 1448. & Nicolaus von der Burg Anno 1458. Fraternitatem hanc reditibus inſigniter locupletarunt, ſtetitque adeo & floruit Fraternitas hæc usque ad Annum Reformationis Holſaticæ 1541 quo collapſa, ejusque loco Præpoſitura Munſterdorpienſis conſtituta eſt, ita ut Præpoſito Munſterdorpienſi inſpectio Eccleſiarum Holſatiæ omnium demandata ſit. Spartam hanc Præpoſitorialem

exinde ornarunt Johannes Anthonii, Paſtor Itzehoenſis & Præpoſitus Munſterdorpienſis a Chriſtiano III. Rege Daniæ A. 1550. conſtitutus. Huic A. 1553. ſucceſſit Johannes Bulichius, Præpoſitus Munſterdorpienſis & Paſtor Itzehoenſis, quem defunctũ 1559. Martinus Vorſtius itidem Præpoſitus Munſterdorpienſis & Mathias Clodius ſecuti ſunt. Poſtea ſpartam hanc nacti ſunt Johannes Meyerus, Vitus Barbaroſſa, Johannes Hudemannus, Andreas Sueſinger Cronhelmius, Johannes Volckmarus, & Johannes Hieronymus V Petkum, Hamburgenſis Anno 1713. feria. I. Nativitatis, e ſuggeſtu domum rediens ſubito extinctus.

CAPUT X.

DE

SCRIPTORIBUS REM DANORUM LITERARIAM illuſtrantibus.

§. I.

REm Literariam Danorum expoſituri, merito de Academiis Danorum, earumque ſcriptoribus quædam præmittimus. Inter celebriores Regni Daniæ Academias primum ſine dubio locum tenet *ACADEMIA REGIA HAFNIENSIS*, cujus Privilegia Rex Ericus a Martino V. Pontifice Romano A.C. 1443, impetravit & Chriſtianus I. A.C. 1478. ſive ut alii volunt, 1479. conſenſu Papæ Sixti IV. promulgavit. Celeberrimam Acade-

Academiam hanc *Caſparus Bartholinus*, Senior, in Oratione de ortu progreſſu & incrementis Academiæ Regiæ Hafnienſis, cum Rectorum & Profeſſorum Catalogo ab A. 1540. usque ad A. 1620. perducto, Hafniæ 1620. & Wittebergæ 1645. 4to impreſſa delineavit. Poſt Bartholinum Academiæ hujus hiſtoriam, una cum Muſagetarum, Patronorum, Rectorum ac Profeſſorum vitis depinxit *Eraſmus Vindingius* edito prolixo ſatis opere de Hiſtoria Academiæ Hafnienſis Hafn. 1665. 4to. Continuationem hujus hiſtoriæ, vitas non ſolum Profeſſorum Hafnienſium ſed & aliorum Daniæ Scriptorum complectentem molitus eſt *Petr. Joh. Reſenius*, ſed colophonem operi non impoſuit; ſchedas autem ejus in Bibliothecam Academicam Hafnienſem tranſiiſſe, conſtat ex Catalogo Bibliothecæ Reſenianæ p. 325. Præter hos Indicem Rectorum & Profeſſorum Academiæ Hafnienſis, Chorographicæ ſuæ Daniæ deſcriptioni A. 1631. ſubjecit *Joh. Iſaacius Pontanus* a pagina nempe 788. usque ad paginam 792. ubi etiam ſyllabus Cancellariorum Academiæ qui ab A. 1539. usque ad ſua tempora i. e. A. 1619. Academiæ præfuerunt. Solum autem Acedemiæ Rectorum Catalogum *Joh. Suaningius*, Junior, Chronologiæ Danicæ a ſe vulgatæ inſeruit a pagina 94--106. ubi Rectores Academiæ ab A. 1479. usque ad A. 1650. nominetenus enumerantur. Cœteroquin de Regia hac Academia, ejusque præſtantia & Bibliothecis tractatum molitus

eſt Cl. *Severinus Lintrupius*, ſed poſtquam fatale incendiũ Bergenſe inter alia & hunc Lintrupii laborem corripuit, de eo amplius ſperare nihil licet. Denique huc etiam ſpectat tractatus de Officiis Studioſorum Academiæ Regiæ Hafnienſis Hafniæ 1611. 8vo per D. *Johannem Pauli Reſenium*, Profeſſorem Theologum, Johannis Petri Avum, editus.

§. II. SORANÆ in Sælandia ACADEMIÆ faciem expreſſerunt *Magnus Friſius*, Nobilis Danus, Eques Auratus, Chriſtiani V. Conſiliarius Intimus A. 1675. d. 9. Julii defunctus, cujus encomium Soræ ibidem 1643. fol. editum eſt. Cui adde *Ottonem Schelium*, Nobilem Danum, in Encomio Regiæ & Equeſtris Academiæ Soranæ Soræ 1652. in 4to excuſo, *Nicolaum Canutum Duropium*, Cimbrum, in Poemate latino de Soræ Academia 1635. vulgato, & denique *Canutum Sebeſtædium*, Equitem Danum, in Oratione de facie Sorana illic 1657. excuſa. His, ſi placet, addi poſſunt, quæ de ejus hiſtoria Germanice prodidit *Chriſt. Franc. Paulini* Parte I. der Zeit kürtzenden erbaulichen Luſt No. 127. p. 350--369. Abbatum inſuper ſive tutorum Monaſterii Sorani ejusque præfectorum præſidumque nomina exhibentur a Johanne Suaningio in Chronolog. Dan. p. 77. ſeq.

§. III. ACADEMIA EQUESTRIS REGIA vulgo die Ritter-Academie, a Chriſtiano V. glorioſiſſimæ memoriæ inſtituta eſt. Leges & ſtatuta Academiæ hujus a Principibus,

bus, Comitibus, Baronibus & Nobilibus ſolum frequentandæ, Hafniæ 1692. in fol. typis exſcripta proſtant.

§. IV. Conſideratis Academiis ad celebriores Daniæ Bibliothecas pergimus, quæ ut literarum omnium ſunt officinæ, ita ad ſtatum literarium ſuo quoque Jure referuntur. Urbs Hafnienſis tribus gaudet Bibliothecis publicis, una Regia & duabus Academicis. *Bibliotheca Regia* ſupra armamentarium Hafnienſe collocata, ex variis privatorum theſauris librariis conflata eſt. Fundamentum autem primum hujus Bibliothecæ fuit *Petri Scavenii*, Conſiliarii Regii, ingens librorum quavis eruditionis parte rariſſimorum ſupellex. Quanti vero momenti ſupellex hæc literaria Scaveniana fuerit, colligere licet ex ejus deſignatione A. 1665. in 4to ſub ſequenti titulo edita: *Deſignatio librorum in qualibet Facultate, materia & lingua rariorum, ſumma cura tum quoad librorum editionumve perfectionem, tum quoad eorundem compactionem variis in locis, in amorem patriæ & ſupplementum inſtructiſſimæ bibliothecæ Regiæ conquiſitorum a P. Scavenio.* Aucta poſtmodum mirifice bibliotheca Regia eſt, cum Illuſtris *Gersdorffius*, ſupremus Regni Danici Magiſter, Bibliothecam ſuam locupletiſſimam Regi legaret, cui liberalitati Gersdorffianæ altera acceſſit *Juſti Hoëgii*, Conſiliarii Intimi & Pro-Regis Norwegiæ, qui ſuam itidem Bibliothecam in Regiam inferri permiſit. Omitto ſupellectilem librariam Eſaiæ Puffendorffii ex ſche-

dis fugitivis (Gallice pieces volantes) iisque rariſſimis potiſſimum conſtantem. Cœterum de Bibliotheca iſta fatendum eſt, eam inſigni & vere Regio apparatu & ſelectu eſſe inſtitutam, id quod clarius patebit, cum Catalogus hujus Bibliothecæ, quem Cl. *Wolffius* h. t. Bibliothecæ Regiæ Præfectus & Conſiliarius regius molitur, lucem aliquando publicam viſurus ſit.

§. V. BIBLIOTHECÆ ACADEMICÆ initia & incrementa recenſet Clariſſimus *Burchard Gotthelff Struvius* in Introductione ad rem literariam p. 124. Cui addendum eſt *Petri Johannis Reſenii* ſtudium Bibliothecæ hujus amplificandæ, quod liberali donatione ſua oſtendit, dum bibliothecam ſuam locupletem & hiſtoricis præcipue aliisque regnorum Borealiū ſcriptoribus impreſſis pariter atque ineditis ſumtu magno per 26. annorum ſpatium conquiſitis inſtructam ei, legavit. Catalogus Bibliothecæ Reſenianæ Hafn. 1685. 4to editus eſt, & ingentem librorum Danicorum non ſolum ſed & aliorum Septentrionalium multitudinem, verum ordine fortuito & plane ἀμεθόδω exhibet judice Mollero in præfatione ad Bartholini librum de Script. Dan. p. 64. *Bibliotheca Fuireniana* & *Muleniana* (quæ partem Bibliothecæ Academicæ conſtituunt) Hafn. 1660. 4to & 1670. 4to prodiere. Cœterum de Bibliotheca hac conſuli meretur *Thom. Bartholinus* diſſert. 1. de legendis libris p. 16. ubi ejus laudes celebrat. Præfectos Bibliothecæ

hæc

hæc ſemper habuit clariſſimos, utpote: *Ericum Olaum Tormium*, *Thomam Bangium*, *Chriſtianum Oſtenfeldium*, *Thomam Bartholinum* & denique *Caſparum Bartholinum*, de quorum meritis in Bibliothecam fuſius in Bibliotheca Bibliothecariorum propediem edenda commentabor.

§. VI. BIBLIOTHECA ACADEMICA Minor, quæ alias Höphneriana dicitur, templo Divæ Mariæ adjuncta eſt, & recentiores potiſſimum eosque rariores libros continet. Catalogus Bibliothecæ hujus prodiit Hafn. 1676. 4to.

§. VII. Inter Bibliothecas in Dania privatas celebriores referendæ ſunt 1) *Bibliotheca Bentzoniana* Anno. 1708. publica auctione diſtracta, cujus Catalogus ampliſſimus, confuſo tamen ordine eodem anno Hafniæ in 8vo editus eſt. 2) *Bibliotheca Sperlingiana*, ſive Ottonis Sperlingii theſaurus Literarius, cujus Catalogi pars Hafn. 1709. 8vo prodiit. Nuper Anno 1711. in 8vo editus eſt Catalogus librorum *Nicolai Bentzonii*, Conſiliarii & Secretarii Regii, qui ob egregie ſervatum ordinem tam ratione formæ quam materiæ merito commendandus eſt. Ejusdem Catalogi partem alteram conſtituit Bibliotheca Poëtica Inſtructiſſima, quæ, quod mireris, 1244. in qualibet lingua Poëtas continet. Hodie inter Bibliothecas privatas Hafniæ eminent *Reitzeriana & Roſtgaardiana*, in quibus, præſertim

ultima, inſignis MSStorum optimorum, ſpeciatim Græcorum apparatus continetur.

§. VIII. Hactenus de literariis officinis tractavimus, reſtat, ut eos quoque ſcriptores recenſeamus, qui Danorum eruditione & ſcriptis inclytorum vitas, hiſtoriam & ſcripta, literis mandarunt. Inter hos primo loco nominandus eſt *Eraſmus Vindingius*, qui in Hiſtoria Academiæ Hafnienſis, plura de Viris Daniæ eruditis adduxit, ceu apparet ex titulo operis §. I. exhibito. Præter hunc *Albertus Bartholinus*, Thomæ Frater Gymnaſii Fridericiburgenſis Rector, librum concinnavit de Scriptis Danorum hactenus editis, quem poſt ejus mortem typis exſcribi curavit Thomas Frater Hafn. 1666. 8vo. Hunc ipſum Bartholini tractatum hypomnematibus eruditiſſimis poſtea illuſtravit, præmiſſaque præfatione ſatis ampla, de gentium Borealium in literas meritis, adauxit *Johannes Mollerus*, Athenæi Flensburgenſis Rector celeberrimus, editque ſub titulo: Bibliothecæ Septentrionis eruditi. Lipſiæ 1699. 8vo. Alberti Bartholini hic ſtudio & induſtria *Jani Bircherodii*, Epiſcopi quondam Aarhuſienſis, altero tanto auctior latet in Bibliotheca Illuſtris Roſtgaardii, qui ut aliquando publici juris fiat, eruditus mecum optat fovetque orbis. Omitto cœteroquin complures, qui de eruditorum Danorum Vitis & ſcriptis ſyntagmata aliquoties moliti ſunt, eos enim jam tum in præfatione recenſitos eſſe memini. Unicum tamen addere licebit,

ꝑit, Petrum Terpagerum, Theologiæ in Gymnaſio Ripenſi Lectorem, jam ab A. 1679. promiſiſſe, Bibliothecam Monumentorum, quæ Dani ſermone vernaculo publicarunt, literariorum ſub Bibliopolii Danici titulo edendam. Sane ſi promiſſis ſuis ſtetiſſet auctor, non dubitamꝰ plura Danorum ſcripta nec mihi nec aliis huc usque cognita, recenſita atque enumerata fuiſſe, rogamus ideo Clariſſ. Auctorem, ut, ſi opus hoc ad telam perduxerit, illud diutius erudito orbi invidere nolit. Denique huc referendus eſt M. *Elias Naur*, Græcæ Linguæ in Gymnaſio Ottonienſi Profeſſor, qui Orationem Valedictoriam de clariſſimis & beatiſſimis Scholæ Ottonienſis Rectoribus Hafn. 1699. 8vo edidit. Nomina Rectorum, qui in hac oratione recenſentur, enarrantur in Novis Literariis Maris Balthici A. 1699. menſe Majo p. 155. Addimus h. l. J. *Roſenringium*, qui præſentem Gymnaſii Othinienſis faciem ſeriemque ibidem docentium cum eorum vitis & ſcriptis tam editis quem ineditis una cum recenſu Profeſſorum a fundatione Gymnaſii MStam poſt ſe reliquit, ceu teſtantur Nova Liter. Mar. Balth. A. 1705, menſe Julio p. 220. Neque prætereundum eſt ſpecimen de eruditis Daniæ mulieribus, quod a *Mathia Henr. Schachtio*, Scholæ Cartemundenſis Rectore, ordine Alphabetico adornatum exhibetur in Novis Liter. Mar. Balth. A. 1700. menſe Julio p. 209. ſeq.

§. IX. Norwegiam Literatam, ſive conſpectum

ſpectum eruditorum, qui publica in Eccleſiis ſcholiſque Norwegicis officia, inde a reformatione ad noſtra usque tempora, ornarunt, jam ab A. 1701. meditatus eſt M. *Michael Leigh*, Theologiæ Lector Chriſtianſandenſis. Neſcio tamen utrum editum ſit ſcriptum necne.

CAPUT XI.
DE
NUMISMATICIS, ORATORIBUS & POETIS ad Hiſtoriam Dano-Norwegicam facientibus.

§. I.

Quemadmodum certum eſt, quod hiſtoriæ vera præſidia ex nummis quoque interdum quærantur, ſic etiam Danis non defuerunt Viri eruditi, qui in hoc etiam ſtudiorum genere operam ſuam exercuerunt, & hiſtoriam Danicam ex nummis illuſtrare anniſi ſunt. Primum inter hos locum tenet *Johannes Mulenius*, Georgii filius, Tribunalis & Cameræ Regiæ Adſeſſor, qui numiſmata Danorum & vicinarum gentium privato ſtudio collegit, & licet ipſe adduci nunquam potuerit, ut rei nummariæ Danicæ brevem exhiberet ideam, poſt mortem tamen ejus factum id eſt per *Thomam Bartholinum*, qui Mulenii numiſmata Danorum & vicinarum gentium edidit Hafn. 1670. 4to. In præfatione, quam Mulenius privato ſtudio conſcripſit, refertur, ſub primis Danorum Regi-

Regibus nullum vel certe exiguum nummorum fuiſſe uſum, cum merces mercibus commutaverint veteres Dani, & ea propter non niſi minutulos & uſuales ex ære cuſos fuiſſe, ad res minoris pretii comparandas, vel ad ſummam pretii in rebus permutatis ſupplendam; poſtea autem ſub potentiſſimis Daniæ Regibus ex domo Oldenburgica creviſſe monetandi ſtudium, ita ut eorum demum tempore Unciales ſive thaleri cudi cœperint. Quod cœteroquin ipſa Mulenii numiſmata attinet, in IV. illa diſtributa ſunt claſſes, quarum prima antiquam monetam Danicam, in qua figuræ rudes ſine ullis literis extant, exhibet. Secunda continet eam, quæ figuras cum paucis literis habet. Tertia complectitur nummos, qui nominum propriorum inſcriptionem & figuras quasdam repræſentant. Quarta denique Monetas Regum Daniæ ex domo Oldenburgica, Danicas, Norwegicas & Holſaticas recenſet, quibus in fine additi ſunt aliarum quoque gentium, populorum & civitatum nummi rariores.

§. II. Poſt Mulenium *OTTO* quoque *SPERLINGIUS*, Ictus & Conſiliarius Regius, de illuſtranda per nummos hiſtoria Danica conſilium cœpit. Anno enim 1700. edidit *Epiſtolam ad Reverendum Dominum Jacobum a Mellen, de nummorum bracteatorum & cavorum noſtræ ac ſuperioris ætatis origine ac progreſſu, Lubecæ in 4to typis exſcriptam*, in qua p. 29. ſeq. de Danorum nummis bracteatis fuſe agit, hujusque

gene-

generis XII. nummos varii moduli exhibet. Idem p. 36. ſeq. demonſtrat nec Norwegorum & Suecorum Reges nummos bracteatos neſciviſſe, ſed potius hoc genus nummorum a Gothis didiciſſe, qui (ſcil. Gothi) morem hunc a CPlitanis hauſerunt, nempe quod Imperatores CPlitani Conſulibus olim conceſſerint, ejusmodi nummos argenteos viliores in ludis publicis ſpargere, ne ſumtibus nimiis in ſolidis alioquin ſpargendis exhaurirentur; bene tamen notat Cl. Sperlingius ante ſeculum XII. nullos tam in Germania, quam in Septentrione nummos bracteatos vel editos vel uſurpatos fuiſſe. Speciatim ad noſtrum argumentum jucundum eſt quod pag. 40. ſeq. de bracteato Hamburgenſi notat, in quo tres turres cum folio urticæ in inferiore parte mediæ turris comparent, de quo obſervat auctor, Hamburgenſes hoc olim nummo ſignificaſſe, ſe jus monetandi & alia jura ſua ab Holſatiæ Comitibus accepiſſe, conſtare enim, ait, ante Annum 1325. Hamburgenſi Civitati ſuo nomine nummos cudere non fuiſſe conceſſum, ſed ſi quos cuderint, ſub Comitum Holſatiæ tanquam Dominorum ſuorum nomine eos prodiiſſe. Cœterum excerpta hujus Epiſtolæ videre licet in Novis Literar. Maris Balth. A. 1700. m. April. p. III. quo ipſo anno m. Decebr. p. 273. ſeq. etiam Sperlingii de hoc argumento ſecunda Epiſtola comparet. Denique hic addimus promiſſum ejusdem Cl. Sperlingii, quippe qui jam ab A. 1698. quinque volumina

lumina de nummo Gothico Regis Chriſtiani V, aliisque antiquitatibus Septentrionis ediſſerentia promiſit, ceu conſtat ex Nov. Liter. Mar. Balth. 1698. p. 141.

§. III. Poſt hunc *THOMAS BRODERUS BIRCHERODIUS*, Jani filius, Gymnaſii Ottonienſis in Fionia Profeſſor digniſſimus, ſuas quoque in illuſtranda ex numiſmatibus Danica hiſtoria vires expertus eſt. Edidit is *Specimen antiquæ rei monetariæ Danorum, ab antiquiſſimis temporibus inveſtigatæ, præſertim a tempore Chriſtianiſmi in Dania ad initium auſpicatiſſimum Imperii Stirpis Oldenburgicæ Hafniæ* 1701. 4to., cum figg. æneis. Conferantur de hoc ſpecimine Cl. Ekkarti monatliche Auszüge Anno. 1701. m. Junio p. 17. ſeq. Nos h. l. in gratiam φιλιςοριῶν brevem ipſius dabimus recenſum. Non dubitat Cl. auctor jam ab antiquiſſimis temporibus metalla populis Septentrionalibus fuiſſe detecta, ea tamen ſolum uſum habuiſſe vult ad utenſilia, ornamenta, aliaque inſtrumenta, donec poſtea ipſa neceſſitas etiam ipſis rationem ponderandi docuerit. Inter antiquiſſima ponderum nomina, quibus metalla apud Gothos, Danos, Cimbros &c. diſtribui ſolebant, *Marcam* fuiſſe demonſtrat, quam poſtea ponderandi rationem omnes populos a Septentrionalibus mutuatos fuiſſe, monetamque, quæ Marcæ titulum & inſcriptionem habet, primam ſub Chriſtiano III. cuſam eſſe fuſius probat. De *ſolido*, Danis ſkilling dicto varia quoque notat, erroremque *Caſp.* *Schützii*

Schützii ridet, qui lib. II. Chron. Boruſſ. arbitratus eſt, monetam hanc ita dici a *Bernardo Sckilling*, Cive Thorunenſi, qui primus iſtiusmodi nummos cudiſſe fertur, ſed inanem hanc eſſe conjecturam ex eo probat auctor, quod jam per integra ſecula ante Bernhardum vox hæc apud Septentrionales in uſu fuerit. Porro refert auctor Danos nunquam nummos ſuos latina inſcriptione ornaſſe ante ſuſceptam religionem Chriſtianam, quippe qui exterorum mores adeo deteſtati fuerunt, ut non ſolum religionem, quam avitæ ſuæ conſtantiæ multum detrahere putabant, averſarentur, ſed & apparatus ſuos domeſticos & bellicos ad exterorum imitationem nequaquam immutare voluerint, imo & ipſa nomina & appellationes oderint externas, ita ut Norwegi Jacobum Regem ante agnoſcere noluerint, quam cum depoſito peregrino nomine gentilitium Septentrionis Amundum recepiſſet. Cœterum varii in hoc ſpecimine nummi exhibentur, quorum primus eſt Suenonis Ottonis, ſive Suenonis furcatæ barbæ A. 928. nati & A. 938. baptizati, ultimus autem Chriſtophori III. poſt Ericum Pomeranum Daniæ Regis. Plura non addo niſi quod ſciam Auctorem ſpecimen hoc altero tanto auctius jam tum prelo paratum ſervare.

§. IV. Porro huc referendus eſt *NICOLAUS KEDERUS*, Regii Antiquitatum Collegii, quod Holmiæ eſt, Adſeſſor, qui Lipſiæ 1703. 4to edidit *ſententiam ſuam de argento Ru-*

nis

nis ſeu literis Gothicis inſignito. Idem Lipſiæ 1704. 4to edidit: *Runas in nummis vetuſtis diu quæſitas, tandemque ibidem feliciter inventas*, ſive *Commentarium de nummis Runicis*, in quo varia ad hiſtoriam Daniæ Ethnicam facientia occurrunt. Huc quoque faciunt ejusdem *Nummi aliquot diverſi ex argento præſtantiſſimi* Lipſiæ 1706. 4to illuſtrati, inter illos enim ultimus eſt Suenonis Tiufeskeg ſive furcatæ barbæ, Daniæ Regis, de quo non pauca erudite obſervavit. Tandem KEDERI *Indagatio nummorum in Hibernia, antequam hæc inſula ſub Henrico II. Rege Angliæ, Anglici Juris facta eſt, cuſorum* Lipſiæ 1708. 4to vulgata, merito hic locum occupat, huic enim indagationi acceſſit *Catalogus Nummorum Anglo-Saxonicorum & Anglo-Danicorum Muſæi Kederiani.* Et licet Catalogus hic jam antea Novis Literariis Maris Balthici Anno 1705. p. 105--116. inſertus fuerit, longe tamen auctior recuſus eſt, ut bene obſervant doctiſſimi Collectores des ausführlichen Berichts von allerhand neuen Büchern p. 203. not. t. t. Denique ejusdem Kederi diquiſitio de Nummis Margarethæ Danorum, Norwegorum Suecorumque Reginæ habetur in Novis Literar. Mar. Balth. A. 1702. menſe April. p. 106. ſeq.

§. V. Nec omittenda hic ſunt eruditiſſimi Viri *Andr. Fountaine*, Equitis Aurati atque ædis Chriſti apud Oxonienſes alumni, Numiſmata Anglo-Saxonica & Anglo-Danica juxta Alphabeticam ſeriem ordinata & ab ipſomet

brevibus miniatulis ceris illuſtrata, quæ exhibentur a GEORG. HICKESIO in linguarum Veterum Septentrionalium theſauro Grammatico-Critico-Archæologico Oxon. 1705. fol. edito. Quæ porro de nummis quibusdam Danicis obſervavit, M. *Gottlob Lehmannus*, Paſtor hodienum Crempenſis, in ſeinem eilfertigen Bedencken über einigen neulich-gefundenen Rendesburgiſchen Naulis oder Danicis &c. Glückſtadt 1709. 4to edito, vulgaria ſunt & locum hic vix merentur.

§. VI. Antequam diſcurſum de Numiſmaticis claudamus, merito dolemus interitum laboris *Johannis Roſenringii*, qui relationem de nummis variis antiquis in Fionia diverſis temporibus & locis detectis & e terra erutis, aliquando meditatus fuit.

§. VII. De ORATORIBUS qui hiſtoriam & res geſtas Panegyrico vel Oratione celebrarunt, plura hic dici poſſent, ſed quia Oratores plerumque ſunt vel Panegyriſtæ, qui heroum vitas & geſta oratione celebrant, vel etiam Antiquarii, ab eorum uberiori & prolixiori recenſione nos hic lubentes abſtinemus, præſertim cum ſuis quoque locis fuſius memorentur.

§. VIII. De POETIS autem, qui ad hiſtoriam Danicam ſpectant, & hiſtoriam hanc carmine expoſuerunt, dicenda & memoranda quædam erunt. Inter antiquiſſima Danorum Poemata, quæ hiſtoriam illuſtrant, merito referendæ ſunt cantilenæ, Danis Viſer

nec

nec non Kempe Viſer i. e. carmina Heroica, dictæ, quibus facta, duella, certamina & res geſtæ Regum & Heroum vetuſtiſſimorum in Dania illuſtrium enarrantur. Harum cantilenarum centuriam Hafniæ 1591. 8vo vulgavit *Andreas Seuerini Vellejus*, quæ poſtea ibidem A. 1622. recuſa eſt, quemadmodum teſtatur Catalogus Mulenianus p. 352. Noſtris quoque temporibus recudi eam fecit, additaque Cantilenarum ſed paulo recentiorum Centuria altera edidit *Petrus Septimius*, Linguæ Danicæ Philologus Regius & Presbyter in Seelandia Helleſtadienſis, Anno 1702. extinctus. Prodiere hæ Cantilenæ Hafniæ 1695. 8vo. ſub titulo: Et hundrede Udvalde Danſke Viſer om allehande merkelige Kriegs bedrivt / og anden ſelſam Eventyr / ſom ſig her udi Riget / vedgande Kemper / Navkandige Konger / og ellers Fornemme Perſoner begivet haver / af Arild tid til denne nårwårende Dag / forögede met det andet hundrede Viſer an Danſke Konger Kemper og andre. Fatendum eſt de hac cantilenarum collectione, eam non exiguam Hiſtoriæ Danicæ lucem affundere, variæ enim in his occurrunt circumſtantiæ, quas apud alios fruſtra quæramus. Ejusdem farinæ ſunt Gamle Danſke Hiſtoriſke Elſkopß Viſer of Tragiſke Materier Hafn. 1657. 4to nec non Tragiſke Danſke Viſer an Egteſkopß ſager ibidem 1657. 8vo vulgatæ, quæ varias nuptiarum & amoris Regum Daniæ aliorumque hominum in Dania illuſtrium hiſtorias exhibent.

§. IX. Inter recentiores Poetas, qui hiſtoriam Danicam carmine complexi ſunt, nominari meretur *Johannes Boccrus*, Literarum humanarum P. P. Roſtochienſis, cujus extat Poema elegiacum de origine & rebus geſtis Daniæ Regum ab initio Regni ad ſua usque tempora, Ducum item Holſaticorum ac Comitum Schauenburgenſium Lipſiæ 1557. editum. Hunc ſequitur *Eraſmus Michael Lætus*, Cimber, Theol. D. & Dialectices Prof. Hafnienſis, cujus rerum Danicarum libri XI. carmine heroico ſcripti & Friderici II. Daniæ Regis nuptiis conſecrati, editi ſunt Francofurti 1574. 4to. Ejusdem Margareticorum libri X. ſive de conflictu inter Margaretham Daniæ Reginam & Albertum Sueciæ Regem libri Francof. 1573. 4to impreſſi proſtant, de quibus jam ſupra egimus. Præter hos *Valentini* quoque *Tilonis* extant Icones Regum Daniæ VI. elogiis illuſtratæ Baſil. 1589. 4to, nec non Imagines virorum bellica laude ac virtutibus heroicis illuſtrium, Baſileæ eodem anno impreſſæ. Adde his *Georgii Sadolini*, Paſtoris in Lollandia Turrævallenſis, nobilitate & laurea poetica a Rege Friderico II. donati, Reges & Inſignia Regum Daniæ Hafn. 1569. in 4to metrice deſcripta, ut & *Ottonis Schmidii* ſive *Fabritii* Danaidos Partes IV. ſive Poema de Regibus Daniæ Oldenburgicis Sleſvici 1581. 4to editum. Plures præterea Poetæ reperiuntur, qui de rebus Danicis cecinerunt, ut ſunt v. g. *Jacobus Liefferus*, *Joh. Laurent. Amerinus*, *Johannes Franciſci*,

iſci, Johannes Kraphtius, Johannes Narſius, Dorſtracenus, *Nicolaus Thomæus*, *Arnoldus Myſius*, *Job. Miltzovius*, aliique, ſed brevia ſaltem & nimis anguſta ſunt eorum carmina, nec merentur, ut hic a nobis prolixiori ſerie recenſeantur. Denique ſaltem h. l. addimus, varios Poetas Danos hiſtoriam haud parum illuſtrantes, collectos, junctimque ſub titulo: Deliciarum Poetarum Danorum per illuſtrem *Fridericum Roſtgaardium* editos eſſe Lugduni Batavorum 1693. in 12mo, Tomis 2. de qua collectione conferri merentur Acta Eruditorum Lipſienſ. Anno 1694. menſe Januario p. 27. ſq.

CAPUT XII.

DE

ANTIQUITATUM DANO-NORWEGICARUM Scriptoribus, & Criticis huc ſpectantibus.

§. I.

ANtiquariorum Dano-Norwegicorum duplicem potiſſimum conſtituimus claſſem, alteram illorum qui generatim antiquitates Dano-Norwegicas tradiderunt, alteram vero horum, qui certum caput ſive certam materiam ex antiquitate pertractandam ſibi ſumſerunt. De illis generatim acturi ſumus, ita ut eorum ſcripta referamus, pauloque fuſiorum de iis recenſum pace benevoli Lectoris tradamus.

§. II. Ad priorem claſſem referendus omninc eſt D. *Olaus Wormius*, Medicinæ quondam in A cademia Hafn. P. P. qui ſub generali titulo Anti quitatum Danicarum edidit Literaturam Runi cam, Lexicon Runicum, Monumenta Runica additamenta ad hæc Monumenta, & deniqu Faſtos Danicos, de quibus ſingulis plura nun dicenda erunt. Literaturam quidem Dani cam quod attinet, edita illa eſt ſub ſequenti ti tulo: *Danica Literatura antiquiſſima vulgo Gothic dicta, luci reddita opera Olai Wormii, Medicinæ i Acad. Hafn. P. P. cui acceſſit de priſca Danorum Poe diſſertatio. Editio ſecunda* (prior enim 1636. 4t prodiit) *auctior Hafn. 1651. fol.* Liber XXX. ca pitibus abſolvitur, in quibus de literarum Ru nicarum ſeu Danicarum antiquarum generi bus, figuris, numeris, poteſtatibus, ordine nomenclaturis, diviſionibus, valore, inven toribus, origine, cum Græcis & latinis literi harmonia, abbreviaturis, diphtongis, modo que ſcribendi varia eruditiſſime obſervantur Contenta cujuslibet capitis, una cum ſyllab auctorum in fronte libri comparent. Præſer tim tamen præter caput VI. ubi figuræ litera rum Runicarum exhibentur, legi meretu caput IX, in quo de varietate literarum Ru nicarum diſſerit, eamque vel ex ſcribentiur & literas pingentium varietate, vel ex ſitus i ipſis vocibus varietate ortam eſſe probat, it ut aliter in fine expreſſæ deprehendantur. U autem melius varietas hæc obſervetur & erro: præveniatur, variæ literarum Runicarum f

gur

guræ, ſive in Monumentis lapideis ſive ſcriptis obviæ ſpeciali tabula expreſſæ cernuntur, quibus capite ſequenti addidit, figuras literarum rariores & minus tritas, nec non nummos literis Runicis inſignitos, quos a Gothis Hiſpaniam olim inhabitantibus cuſos fuiſſe hariolatur, de numero tamen literarum Runicarum cap. XI. teſtatur, quod ultra ſedecim non fuerint olim literæ, licet ab Uphila, Waldemaro & aliis auctæ poſtea ſint. Curioſa etiam ſunt, quæ capite XX. de inventore literarum Runicarum traduntur, hunc enim non Ulphilam, Gothorum in Moeſia Epiſcopum (quem ſcriptores fere hujus generis omnes inventorem literarum Runicarum fuiſſe perhibent) nec Gordanem (cui Trithemius lib. 6. Polygraph. inventionem tribuit) nec Jornandem, nec Adamum Protoplaſtum, nec Odinum Runhofdum, ſed quendam nomine Fimbul aliis Fimbultyr ſive Fimbulthulur dictum, fuiſſe, ex antiquis documentis affirmat. Neque negligenda ſunt, quæ capite XXIII. de abbreviaturis literarum Runicarum monentur, quas non vult a vetuſtis Gothis adhibitas eſſe ob *ταχυγραφίας* cauſam, olim enim nec chartæ nec ceræ uſus invaluerat, ſed quia interdum cautium ac lignorum, quibus inſculpi debebant Runæ, contracta nimis capacitas occurrebat, ut ductus omnes ſine confuſione & diſtractione capere non potuerit. Cœterum liber hic ſumma diligentia & *ἀκρίβεια* conſcriptus eſt, quapropter juſtis etiam laudibus

ornatur ab *Athanaſio Kirchero* in Epiſtola ad *Joh. Rhodium*, quæ appendici Obſervationum Bartholinianarum de Unicornu p. 297. & 298. inſerta eſt. Literaturæ huic præter Appendicem, (qua literarum Runicarum uſus in Poeſi uberius declaratur.) Index rerum memorabilium ſubjicitur.

§. III. Alterum jam ſequitur ſcriptum Wormianum, quod eſt: *Specimen Lexici Runici, obſcuriorum quarundam vocum, quæ in priſcis occurrunt Hiſtoriis & Poetis Danicis, emendationem & enodationem exhibens, collectum a D. Magno Olavio, Paſtore Lauſaſienſi in Islandia doctiſſimo, nunc in ordinem redactum & locupletatum ab Olao Wormio Hafn. 1650.* fol. Quid in hoc Lexico Runico præſtiterit Cl. Autor, ipſe in præfatione ſatis luculenter exponit, ubi inter alia ſic ſcribit: *Cæterum non eſt quod hic vocum omnium priſcarum completum Lexicon expectes lector, (quod alios in Islandia tentare novi) ſed maxime obſcurarum, poeticarum, & talium, in quibus ipſi Islandi, antiquitatum imperiti, quandoque hærent, ſpecimen. Quod non nuda propinat vocabula, ſed una res magni momenti, ex præcipuis Hiſtoricis & Poetis, documenti loco, adductas, quæ antiquitatum & variæ Literaturæ ſtudioſis, maximo eſſe poſſunt uſui. Auctores quod attinet, qui hic citantur, rari illi ſunt & non editi, in Archivis Doctorum in Islandia MSStis latitantes.* Sunt autem illi ſequentes: *Arnon Skald, Aurvar Oddus, Bandamanna Sagu, Bua Sagu, Brynolphus Suenonius, Edda, Eigla*, ſive Hiſtoria Egilli Skallagrimi, *Eyrbyggia* i. e. Hiſtoria

Islan-

Islandiæ antiqua, *Gragaes*, i. e. antiquarum Legum Norweg. & Islandicarum Codex, *Gretla* i. e. hiſtoria Gretteri, *Halfrodar Saga*, *Hiſtoria Sigurdi Hafnsbana*, *Hiſtoria Sturlaugi Starfsama ſeu laborioſi*, *Jarla Saga*, *Isfyrdinga Saga*, *Knitling Saga*, *Krokarefs Saga*, *Niala*, *Olafs Saga*, *Olafs Trygwaſſns Saga*, *Orknu Saga ſive hiſtoria Orcadenſium*, *Orms Saga*, *Pugna vitiorum & virtutum*, *Quæda Eigla*, *Rauds Pättur*, *Ragnars Saga ſ. Regneri Lodbrog hiſtoria*, *Rogwalds Pättur*, *Sigurdur Skald*, *Vetus translatio*, *Wadtz dæla*, & denique *Wigaglums Saga*.

§. IV. Succedunt ejusdem Wormii Monumentorum Runicorum ſive Danicorum libri VI. Hafn. 1643. fol. (ut vult Catalogus Thuanæus,) ſive 1650. fol. editi. Faciunt hi ad omnes Daniæ antiquitates, quas ex monumentis veterum ſepulchralibus potiſſimum illuſtrant. Additamenta ad libros hos in fol. edita quoque ſunt paginis 40., neſcio tamen quo anno. Verum reliquit Clariſſimus Wormius ingens Spicilegium *Johanni Mejero*, Holſato, Gymnaſiarchæ Ripenſi, cujus Nova Monumentorum Runicorum collectio inedita memoratur *Thomæ Bartholino* in libro I. de cauſis contemtæ mortis cap. VIII. p. 123. Cœterum de his Wormii libris conferatur Cl. Mollerus in Hypomn. ad Bartholinum p. 361.

§. V. Ordine ſuo jam veniunt Faſti Danici, univerſam tempora computandi rationem antiquitus in Dania & vicinis Regionibus obſervatam libris III. exhibentes, ex variis

patriæ antiquitatibus & auctoribus fide dignis eruti ac in lucem emiſſi, jamque aucti ab Olao Wormio Haſn. 1643. fol. Prior editio prodiit 1626. In præfatione dum auctor conſilii ſui rationes exponit, inter alia memorat, ſe naturali quodam ductu a juventute ſtatim ad antiquitates patrias inveſtigandas tractum fuiſſe, hocque ſuum ſtudium egregie a *Chriſtiano Friſio*, Daniæ Cancellario exſuſcitatum fuiſſe. Opus ipſum, quemadmodum titulus oſtendit, tribus abſolvitur libris. Primus capitibus 25. conſtans, generalia faſtorum tractat, qua ratione varia de Anno, faſtis Danicis in genere, (quos ligneos fuiſſe & a veteribus Rimſtock, Primſtaf &c. vocatos fuiſſe perhibet) item de menſibus & ſeptimanis Danicis, nec non diebus feſtis & diebus atris ſive infauſtis Græcorum, Romanorum, Ægyptiorum, Danorum & Gallorum adducuntur. Liber II., qui capitibus X. includitur, ſpecialia faſtorum recenſet, & imprimis agit de faſtis Danicis in ſpecie eorumque perfectione, monſtatque qua ratione faſti imperfecti & nondum abſoluti, reſtituti & ad noſtrum ſeculum accommodati fuerint, quem in finem tam perfectorum quam imperfectorum faſtorum genera æri inciſa exhibet. Liber III. a pagina 125--160. plenum exhibet Calendarium Runicum ante annos circiter 300. in volumine membranaceo exaratum. Calendarium hoc ſequuntur XI. Capita, quæ pleniſſimi Commentarii inſtar ad Calendarium præcedens haberi poſſunt, in his videlicet

non

non tantū de literis Runicis, ſed etiam de notis numerorum, de notis Dominicalibus & de Cyclo Paſchali varia non protrita in medium adducit, ſpeciatim egregia ſunt, quæ in libri hujus capite II. de permutatione literarum Runicarum monuit clariſſimus Auctor. Non audiendus itaque eſt Cl. *Burchard Gothelf Struvius*, qui in Biblioth. Hiſtor. cap. XXVIII. §. V. pag. 725. Faſtos hos Danicos ad libros Chronologicos perperam retulit, in iisque omnem Danorum Chronologiam ſimili Andreæ Severini Velleji inſtituto explicatam eſſe, aſſeruit. Meditatus quidem aliquando fuerat Doctiſſimus Wormius ſimilem Vellejeno operi laborem, ſed conſilium poſtea mutavit, quemadmodum ipſe teſtatur in Epiſtola ad Johannem Suaningium, ejus Chronologiæ præfixa, ubi inter alia ſic ſcribit: *Ego quid ſimile meditatus ſum olim, ſed quietis & otii penuria cogitationes iſtas ſeponere coactus ſum, tuam vero ubi aſpexi Chronologiam, chartas meas plane abjeci, exiſtimans poſt Homerum Iliada ſcripturum, qui in hoc genere accuratius quid tentaret.*

§. VI. In eadem, priori ſcilicet claſſe locum quoque meretur *Ericus Olaus Tormius*, qui Hafn. 1642. 4to edidit: *Antiquitatum Danicarum ſermones XVI., ex Bojariæ hiſtor. Joh. Aventini libro I. electos & Commentariis Joh. Lyſchandri illuſtratos*, in quibus duabus partibus, Chorographica altera, altera Hiſtorica, generalem totius Germaniæ & Cimbrici orbis nec non regionum Aquilonarium hiſtoriam aliasque res

ad

ad antiquitates ſpectantes tam internas quam externas pertractat, de quibus fuſius in Sect. III. egimus Cap. I. Optanda ſane eſſet Theatri Coſmographici in præfatione harum Antiquitatum promiſſi editio, quippe in quo Theatro auctor præcipua Daniæ aliorumque regnorum monumenta hiſtorica excutere pollicitus eſt.

§. VII. Denique ad claſſem hanc generalem referendus eſt *Thomas Bartholinus*, cujus extant *Antiquitatum Daniearum de cauſis contemtæ a Danis adhuc gentilibus mortis libri III.* Hafn. 1689. 4to editi. & a Johanne Clerico Tomo XV. Biblioth. Univerſalis p. 380. nec non doctiſſimis Actorum Lipſienſium Collectoribus Anno 1689. menſe Decembri p. 625--634. & Anno 1690. menſe Januar. p. 28--35. fuſius recenſiti. Quibus addimus *Danielis Langhörnii Elenchum antiquitatum Albionenſium, Britannorum, Danorum, Scotorum, Anglo-Saxonum &c. origines & geſta ad A. 449. quo Angli in Britanniam migrarunt, explicantem*, Londini 1673. 8vo typis exſcriptum, nec non *Trogillii Arnkielii Antiquitates Cimbricas* lingua vernacula junctim Hamburgi 1703. 4to editas, & in Actis Eruditorum Lipſienſibus A. 1704. p. 333. ſeq. fuſius explicatas.

§. VIII. Sequitur antiquariorum ſecunda claſſis, eorum nempe, qui certam Antiquitatis materiam enucleandam ſibi ſumſerunt. Huc ſuo jure ſpectant *auctores illi, qui in colligendis Inſcriptionibus operam ſuam exercuerunt.* Inter hos primas tenet *Petrus Johannes Reſenius*, cujus

cujus extant: *Inſcriptiones Hafnienſes, Latinæ, Danicæ & Germanicæ, una cum Inſcriptionbus Amagrienſibus, Uraniburgicis & Stellæburgicis, nec non duabus Epiſtolis, una Tychonis de Brahe ad Peucerum miſſa, altera ejusdem Sororis, Sophiæ Brahe, Metrica latina ad Nobilem Danum Nicolaum Lange, Chymiæ ſtudioſiſſimum ſcripta*, Hafniæ 1668. 4to editæ. Idem Cl. Reſenius Inſcriptiones Danicas & Norwegicas ineditas reliquit, teſte Mollero in Hypomnem: ad Bartholinum p. 379. Ante hunc *Laurentius Aſſerous*, Scanus, Sælandiæ Provinciæ Inſcriptionum ac Epitaphiorum antigrapha edidit Hafn. 1621. 8vo. Simili fere inſtituto Inſignia ac monumenta Regum atque nobilium, quotquot vel in Cœnobio Ringſtadienſi ſunt ſepulti, vel iſtud dotarunt, a blattis & tineis exeſa & conſumta reſtituit *Ivarus Bartholinus*, id quod ex Lyſchandro notat Cl. Mollerus in Hypomnem. ad Barthol. p. 28. Præter hos *Inſcriptiones Ripenſes*, Latinas, Danicas & Germanicas, cum præmiſſa brevi urbis deſcriptione Hafn. 1702. 4to evulgavit *Petrus Terpagerus*, ita quidem ut Inſcriptionibus Danicis & Germanicis verſionem adjecerit. *Inſcriptionum Othonienſium Sciagraphiam* MStam poſt ſe reliquerunt *Joh. Roſenringius* & *Joh. Bircherodius*, quemadmodum de poſteriori teſtatur Catalogus librorum Bircherodianus p. 71. Idem Catalogus p. 18. MSti cujusdam meminit, quod olim inter MSSta Bircherodiana delituit, nec pauca ad notitiam Inſcriptionum in monumentis Danicis obvia-

rum

rum facientia continuit, cujus operis ſequens eſt titulus: Teebog / hvorudi handles om Lunde Domkirkes / ſampt Roſkilde / Odenſee / Soron / Anderſkov / Aarhuß og Viborg Domkirkers Begravelſer und denne Inſcriptioner i. e. Liber de monumentis in Eccleſiis Cathedralibus, Lundenſi, Roſcildenſi, Othonienſi &c. eorumque Inſcriptionibus agens. Nec pauca denique huc facientia obſervata ſunt a *Nath. Chytræo* qui A. 1606. 8vo edidit: Monumenta Inſcriptionum, quibus paſſim in Italia, Helvetia, Dania, Belgio, Anglia, Germania, Bohemia, Cimbria, Gallia, &c. templa, Aræ, Scholæ, Bibliothecæ, ſepulchra conſpicua ſunt, a pagina nempe 579 - 604. cui denique ea addere licebit, quæ in Sylva Chronologica Circuli Balthici lib. I, cap. XI. *Nicolaus Helvaderus*; & in Ciſta medica *Bartholinus* notarunt.

§. IX. Ad eandem hanc claſſem pertinent quoque ſcriptores, qui in deſcribendis Ordinibus Danorum Equeſtribus Elephantino ſcilicet & Dannebrogico deſudarunt. De priori ex profeſſo egit *Janus Bircherodius*, Jani filius, cujus operis titulus ſequens eſt: *Breviarium Equeſtre, ſeu de Illuſtriſſimo & inclytiſſimo Equeſtri ordine Elephantino, ejusque origine, progreſſu ac ſplendore hodierno, tractatus, collectus ex antiquis diplomatibus, bullis, Numiſmatibus, Inſignibus, præcipue autem ex poſthumo & MSto Ivari Hertzholmii Codice, in Epitomen redacto variisque additamentis & obſervationibus illuſtrato & continuato a*

Jano

Jano Bircherodio, *Jani filio*, Hafn. 1704. fol. Quid in hoc opere præſtitum ſit, dudum enarrarunt Clariſſimi Novorum Literariorum Maris Balthici Collectores A. 1705. menſe April. p. 116. ſeq. quibus adde les Nouvelles de la Republique des lettres A. 1705. menſe Septembris p. 328. ſeq. ubi tamen perperam liber in 4to editus dicitur. Bircherodium procul dubio ſecutus eſt, licet eundem non citaverit, *Frider. Henricus Jacobs*, Ordinis Philoſophici Jenenſis Adjunctus, qui Jenæ A. 1705. reſpondente *Joh. Laurentio Goebelio* edidit: diſſertationem Hiſtoricam de ordine Equeſtri Elephantino. Ante hos de eodem ordine egit *Leonhardus Ludovicus Vogtius*, Dreſdenſis, qui Baruthi 1673. 4to edidit: Den Königlichen Elephanten-Orden aus bewährten glaubwürdigen Documenten, ſo wol alter als neuer Däniſchen und andern Scribenten kürtzlich und deutlich zuſammen getragen und geſchrieben. Verum mera hæc ex Ivari Hertzholmii MSto in Bibliotheca Academica Hafnienſi aſſervato excerpta eſſe teſtantur Cl. Tentzelius in Dialogis menſtruis A. 1693. p. 66. & Cl. Mollerus in Hypomnem. ad Bartholin. p. 322. Præter hunc Valentinus Erneſtus Löſcherus, Wittebergæ A. 1697. vulgavit ἱϛορούμενα de ordine Elephantino, ut h. l. ea taceam, quæ de hoc ordine leguntur in Hiſtoria Chronologica Ordinum Equeſtrium tam ſacrorum quam profanorum & ſecularium Venet. 1692. fol. edita, pag. 759. ſeq. Statuta hujus ordinis, prout a Chriſtiano

V.

V. Danorum Rege renovata auctaque fuerunt, habentur in Mantiſſa Codicis Juris Gentium Diplomatici Leibnützianí Hanov. 1700. fol. editi, Part. II. p. 61. No. V. Denique de hoc ordine tractatum olim paravit *Petr. Joh. Reſenius*, cujus ſchedæ ineditæ latent in Bibliotheca Academiæ Hafnienſis; huic adde, *Johannem Philippum Bezam*, Argentoratenſem, qui de origine ordinis Elephantini in Dania, cum annexis legibus & diplomate Regis, diſſertationem aliquando molitus eſt. De *ORDINE EQUESTRI DANNEBROGICO* extat *Thomæ Bartholini de Equeſtris Ordinis Dannebrogici, ab Auguſtiſſimo Rege Chriſtiano V. nuper inſtaurati, origine, ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Heroem Dominum Petrum Comitem de Greiffenfeldt, Magnum Regni Cancellarium, utriusque Ordinis Equitem Auratum, diſſertatio* hiſtorica Hafn. 1676, fol. majori. Diſſertationem hanc Thomæ Patri, a Joh. Chr. Becmanno, Thomæ autem filio, a Beughemio perperam tribui obſervat Mollerus in Hypomnem. ad Barthol. p. 441. Idem Bartholinus hiſtoriam ordinis Dannebrogici tradit in Epiſtola ad Angelum Aproſium d. 20. Novembr. 1676. ſcripta, quæ inter Acta Medica Hafnienſia Vol. VI. p. 66. ſeq. reperitur. De eodem inſuper ordine confer *Ferdinandi Neoburgi*, ſive qui ſub hoc nomine latet, *Iohannis Keilbackeri* curieuſen Hoffmeiſter Part. I. p. 898. ſeqq. necnon Virum Illuſtrem *Fridericum Reventlovium* in diſſertatione de Equitibus & Equeſtribus Ordinibus Lugduni Bata-

vorum

vorum 1707. 4to edita cap. VII. Statuta hujus Ordinis habentur in Mantiſſa Codicis Juris Gentium Diplomatici Leibnützianí loco ſupra citato, quibus denique addo *Iohannis Birche-rodii* Scrutinium Antiquario-Hiſtoricum Ordinis Seraphini ſive Dannebrogici, quod MS-tum in 4to poſt ſe reliquit, teſte Catalogo Bircherodiano p. 73.

§. X. Quantum quidem ad *cornu illud aureum* a virgine ruſtica Catharina Schwenia in via publica A. 1639. menſe Julio prope Tunderam repertum & Chriſtiano V. Daniæ principi oblatum attinet, primus illud explicavit peculiari diſſertatione Hafn. 1641. fol. *Olaus Wormius*, qui buccinæ illud bellicæ vicem ſuſtinuiſſe apud Danos etiamnum gentiles, probat. Danice diſſertatio hæc per *Petrum Hermannum* verſa prodiit Hafn. 1644. 4to. Hunc ſecutus eſt *Paulus Egardus*, qui vernaculo ſermone meletemata de aureo cornu Luneburgi 1642. 4to ſcripſit, cum quibus conſentit *Enevaldus Randulfus*, Haderslebienſis, Paſtor & Canonicus Roſchildenſis Nomarchiæque Præpoſitus A. 1667. d. 30. April. extinctus, cujus diſſertatio de aureo cornu vel tuba Danica Hafn. 1644. fol. min. prodiit. Poſtea *Thomas Bartholinus* in Obſervationibus de Unicornu Patavii 1645. 8vo adjunxit de hoc cornu & diſſertatione Wormiana, judicia; *Fortunii Liceti*, *Caſſiani a Puteo*, *Athanaſii Kircheri*, *Angelici Aproſii*, *Jacobi Pighetti* & M. *Aurelii Severini* per literas familiares ſecum communicata. Cum

vero Licetus, & in Epiſtola ſua, & in opere de antiquorum annulis loco Wormianæ interpretationis alteram ſubſtituiſſet, impugnavit eandem ſuamque defendit *Olaus Wormius in reſponſione illi oppoſita* Amſtelod. 1678. 12mo. Denique de hoc cornu commentati ſunt *Petrus Winſtrupius*, cujus Cornicen Dan. prodiit Hafn. 1644. fol. min. & *Trogillius Arnkiel*, qui Kilonii 1683. 4to edidit: Güldenes Horn bey Tundern 1639. gefunden. Idem in Antiquitatibus Cimbricis Hamburgi 1703. 4to junctim editis, duobus libris de cornu hoc agit, & priori quidem, de cornu iſtius inventione, figuris, uſu, ætate & cauſis ob quas per tot ſecula in terra delituerit, agit, altero vero libro de ſymbolorum & icuncularum inibi expreſſarum figuris ac ſignificatione ex veteri Septentrionalium Theologia perquam docte differit. Cœterum de materia hac antiquaria conferatur Cl. Mollerus in Introd. ad notit. Cherſoneſ. Cimbr. P. I. p. 28. ſeq. Antequam Paragraphum claudam, ſubjicere lubet judicium de his omnibus modo recenſitis Scriptoribus, quod legitur in Actis Eruditorum Lipſienſibus A. 1704. menſe Jul. p. 333. ubi inter alia ſic habetur: *Olaus Wormius tubam bellicam & icunculas inibi expreſſas Danica fuiſſe hieroglyphica arbitratus eſt; Paulus Egardus in libro ſuo de cornu, Theologicas animadverſiones continere putat, & imagunculas ex ipſis doctrinæ Chriſtianæ ſymbolis explicare conatur. Petrus Winſtrupius in Cornice, tubam ad Wormii ductum bellicam cornu hoc*

fuiſſe

fuiſſe tradit, libertate autem Poetica nimis audacter uti videtur, quando per hieroglyphicas ejus notulas, calamitates belli Suecici A. 1643. Guſtavo Hornio Suecorum Duce in Scania geſti, indigitari, ſibi ac aliis perſuadere ſatagit. Enewald Nicolaus Randulfus in diſſertatione originem ejus ex ipſis Chriſtianiſmi inter Danos recepti temporibus deducit, & icunculorum ſenſum ex principiis Theologiæ Chriſtianæ oſtendit. De *CORNU* præterea *OLDENBURGICO* itidem in Cimeliarcho Regio Hafnienſi aſſervato, præter Generales rerum Oldenburgicarum ſcriptores, confer *Joh. Juſti Winckelmanni* Declarationem originis Thuringorum Germanice Bremæ 1694. 8vo editam.

§. XI. CRITICOS, ad hiſtoriam Danicam facientes, nunc tangit Ordo, de quibus pauca hic in medium afferre non pigebit. Hos inter referendi erunt ii, qui de *lingua Danica*, ejusque origine, dignitate, præſtantia, cum aliis linguis affinitate &c. commentati ſunt, quos inter eminet: *OTTONIS SPERLINGII Commentarius de linguæ Danicæ & nominis antiqua gloria & prærogativa inter Septentrionales Hafn. 1694. 4to editus*, in quo Cl. auctor pluribus argumentis demonſtrare conatur, linguam Danicam omnes Septentrionalium linguas præſtare, probatque Reges omnes Suecicos æque ac Norwegicos linguam Danicam uſurpaſſe pro familiari, quam in rem varia Islandorum, Adami Bremenſis & aliorum teſtimonia eminentiam linguæ Danicæ celebrantia, adducit. Plura de hoc libro videre

licet in Act. Erudit. A. 1694. m. Aug. p. 357. ſeq. Poſt Sperlingium *Petrus Winslövius*, *ſpecilegium Arctoum de Hiſtoria, Antiquitatibus & imprimis lingua Danica Hafn.* 1695. 8vo evulgavit, in quo continentur obſervationes Miſcellaneæ, Hiſtoriam, Antiquitates & imprimis linguam Danicam regionumque vicinarum illuſtrantes. Ejusdem *Farrago Arctoa* Hafn. 1704. 8vo edita, continet cogitationes de Taciti Tanfana & Sturlæi Tanfæ aliisque, ad Danicam hiſtoriam ac linguam ſpectantibus. Nec pauca de *antiqua lingua Dano-Saxonica & Normanno-Saxonica* notantur in *Theſauro Grammatico-Critico linguarum Septentrionalium* Oxonii 1705. fol. per *Georgium Hickeſium*, Wigornienſis in Anglia Cathedræ, Decanum, edito, cujus recenſum ſuppeditant Acta Erudit. A. 1706. m. Mart. p 97. ſeq. Ejusdem linguæ Danicæ cum aliis linguis affinitatem demonſtravit *Bertolus Canutus Aquilonius*, Selandus, Scholæ initio Malmogienſis Rector & arcis ibidem Paſtor, poſtea Parochus in Scania Söderupenſis & Horupenſis. Ejus enim extat *diatriba de lingua Græcæ & latinæ miſtione cum Danica* Hafniæ primum 1640. 8vo ſeparatim, deinde cum ejusdem interludiis & Diatribis ibidem 1641. in 8vo edita, de qua quid Morhofius ſenſerit videre eſt apud Mollerum in Hypomn. ad Bartholin. p. 168. ſeq. Huc quoque ſpectat *Torgilli Badenii* Roma Danica Hafn. 1699. 8vo typis exſcripta, quæ harmoniam atque affinitatem linguæ latinæ cum Danica exhibet.

§. XII.

§. XII. Plures cœteroquin ſuperſunt Critici Dani, quorum merita enarrare æquum eſſet, ſed ſub juſto hi omnes titulo diſpeſci non poſſunt. Hujusmodi ſunt ſcripta ſequentia: *Thomæ Bartholini de regni Danici nomine Hafn.* 1710. 8vo. *Velleji Oratio de origine appellationis Regni Daniæ Sleſvici* 1584. 4to, & Hafniæ 1705. 8vo. *Ottonis Sperlingii Commentarius: de ſumme Regio nomine & Titulo Septentrionalibus & Germanis omnibus & aliis uſitato* Konning/ *& ejus apud Danos origine, poteſtate & Majeſtate Hafn.* 1707. 4to. *Jonæ Rami Ulyſſes & Otinus unus & idem* Hafn. 1702 8vo, (de quo confer Nov. Literar. Mar. Balth. 1703. p. 20. ſeq.) *Ian. Iac. Bircherodii Arctos Alexandriæ, de priſco Septentrionalium in urbe illa mercatu* Hafn. 1080. 4to aliaque hujus generis plura, quæ omnia confuſo hic ordine exprimere animus non eſt.

CAPUT XIII.

DE

SCRIPTORIBUS CURIOSIS ad RES DANORUM SPECTANTIBUS.

§. I.

INter Curioſos Scriptores Danos h. l. collocamus eos, qui Botanices in Dania curam habuerunt, ſive qui Plantarum Danicarum hiſtoriam & recenſum dederunt. Hos inter nominari merentur *SIMON PAULI*, cujus *Flora Danica*, Danice juſſu Chriſtiani IV. con-

conſcripta & Hafniæ 1648. 4to publicata, plantas Regni Danici cum earum iconibus recenſet. *Petrus Kyllingius* cujus *Viridarium Danicum* ſive Catalogus Latino-Danico-Germanicus plantarum in Dania Indigenarum Hafn. 1688. 4to prodiit. *Otto Sperlingius* qui hortum Chriſtianæum Regium Hafn. 1642. in forma minori deſcripſit, qui Sperlingii labor inter viridaria varia a Simone Pauli Hafn. 1653. 12mo edita, quoq; comparet. Appendicem illius, ſeu Catalogum Plantarum Indigenarum A. 1645. in viridarium iſtud a Sperlingio translatarum exhibet loculus XLV. Ciſtæ Medicæ Hafnienſis Bartholinianæ. Eidem Sperlingio, licet non ſoli, debetur Index Plantarum Daniæ Indigenarum Hafn. 1662. 8vo, ſub nomine *Georgii Fuirenii* Medici Hafnienſis excuſus. Denique memorandum quoque hic eſt *Henrici Schmidii* Herbarium Danicum, cum præfatione *Chriſt. Torgilli Morſiani* Danica 1556. editum, quam præfationem latine exhibet Bartholinus Locul. III. Ciſtæ Medicæ p. 45-50.

§. II. De *MEDICINA DANORUM* ejusque ratione nihil in præſenti addo, præſertim cum *Acta Medica Hafnienſia opera Thomæ Bartholini congeſta* ab A. 1671. usque ad A. 1679. proſtent. Reliqua videre licebit ex *Thomæ Bartholini* diſſertationibus X. *de domeſtica Danorum Medicina* Hafn. 1666. 8vo evulgatis. Pari ratione de *DOMO ACADEMIÆ Hafnienſis ANATOMICA* conſtat, quam metrice deſcripſit *Thomas Bartholinus* Hafn. 1662. 8vo. D. *Simonis*

Pau-

Pauli Programma, ad Ornatiſſimos Dominos Studioſos in inclyta Regia Hafnienſi commorantes, affixum, cum prima vice in Theatro Anatomico divina annuente gratia anatomen eſſet auſpicaturus Hafniæ 1644. 4to typis exſcriptum eſt, cui *Michaelis Kirſtenii*, Profeſſoris Hafnienſis Poema in Theatum Anatomicum adjectum eſt. Ipſam Theatri ſtructuram cognoſcere licebit ex ſcripto, quod Hafn. 1644. 4to ſub ſequenti titulo editum eſt: *Æternitati ſacrum: Theatrum Anatomicum noviter extructum Rege Auguſtiſſimo Chriſtiano IV. procurante Academiæ Patrono ſummo Illuſtri Heroe Chriſtiano Thomæo Anno Epoch. Chriſt. 1644.*

§. III. Huc porro pertinet facies *MUSEI REGII* per *Oligerum Iacobæum*, Hafn. 1696. fol. delineata & A. 1711. fol. recuſa. Editioni priori acceſſit A. 1699. Auctarium rariorum, quæ in Muſæo Regio per triennium Hafniæ acceſſerunt, uberioribus illuſtrata Commentariis, præcipue autem numiſmata & aliæ antiquitates parti ſecundæ aut inſertæ aut inſerendæ, deſcribente *Ioh. Laurentio*, Grammateo & Typographo Regio & Conſiſtorii Adſeſſore, cum figg. æneis. Cœterum de editione Iacobæi confer Acta Erud. Lipſ. 1697. p. 381. ſeqq. & Neocori Biblioth. N. L. 1697. p. 381. ſeqq. Ejusdem commatis eſt *MUSEUM WORMIANUM*, ſive Catalogus rerum naturalium & artificialium rariorum, domeſticarum pariter atque exoticarum, Regio poſt obitum auctoris adjunctarum, qui primum A. 1642. & 1645.

deinde a Georgio Segero, Thorunenſi auctior 1653. denique plenus & accuratior ab ipſo Wormio concinnatus, & ab ejus filio *Wilhelmo Wormio* editus Lugd. Batav. 1655. fol. cum Iconibus lucem adſpexit.

§. IV. Porro huc retulimus: *Elementa artis navigandi* Danice a *Georgio Raſchio* edita ſub titulo: Den Monndſke Styrmans bog / effter Hwis Anledung Ungdommen i Styrmans konſten der paaſteden ſkal opleeres Hafn. 1702. 4to. Elementa hæc ſcripta ſunt in gratiam Arithmetico-Graphico-Nauticæ Scholæ, auſpiciis Regis in Inſula Moena ejusque urbe Stega erectæ, in qua ſumtibus publicis artem pingendi, numerandi & navigandi percipiunt erectiores in patria Neptuni & Mercurii filii.

§. V. Denique ad curioſos Scriptores referendus omnino fuiſſet, *Petrus Claudii*, Paſtor Undalinus, ſi ejus deſcriptio Animalium Norwegiæ terreſtrium, Aquatilium & Volatilium, Danica, prodiiſſet, ſed una cum Bartholini reliquis, in prædii Hageſtedani incendio ferali A. 1670. conſumta eſt, teſte *Thoma Bartholino* de Bibliothecæ ſuæ incendio p. 77. 78. Omitto reliqua eaque minutiora, ut ſunt v. g. Eraſmi Bartholini diſſertatio de aere Hafnienſi Francof. 1679. 8vo edita, aliaque hujus generis plura, quæ ulteriorem hic enarrationem non merentur.

S. D. G.

Nos

NOS FRIDERICUS TERTIUS DEI GRATIA, DANIÆ, NORWEGIÆ, Vandalorum Gothorumque Rex, Dux Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ atque Dithmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt &c. Notum Univerſis ac ſingulis facimus, Divini Numinis arbitratu ſceptra coronasque diſpenſari & arcano providentiæ nutu, Reges, Principes, ſubjectosque eorum Imperio populos, gubernari, non aliarum tantum gentium exemplis, ſed & proprio experimento nos deprehendiſſe, imprimis cum circumſtrepente non ita pridem funeſti terrore belli, conjurata velut in noſtram omnium perniciem fata, cœlo lapſa manus incidit rupitque, & obverſans oculis exitium impendentemque omnium capitibus cladem avertit, averruncavit, triſtemque rerum faciem & turbulentam ſcenam læta adeo fauſtaque Cataſtrophe mutavit, ut non tantum optata nobis pax reddita, ſed & Regni, qui tum erat, Senatus totusque populus communi ordinum omnium conſenſu, urgentibus ſingulis, acclamantibus univerſis, cœleſti prorſus inſtinctu, ultro ſponte priſtino Reges eligendi jure deſiſtere, ſubſcriptam ſubſignatamque a Nobis Capitulationem pactionemque, omniaque iſtius Capitulationis Apographa & exempla reſcindere, abolere, æternæque oblivioni tradere,

Juriſjurandi Nos vinculo & religione, qua ſuſcepturos Nos Regnum obligaverant, ſolvere, ſine omni prorſus exceptione, animum induxerint, adeoque in nos & deſcendentem a nobis tanquam a capite & primo acquirente, per linearum ordinem, æterna ſerie & legitimi matrimonii fœcunditate progeniem utriusque ſexus voluntario animorum impulſu, cogente nemine ac ne monente quidem, contulerint ſupremam & ſolutam legibus poteſtatem, omniaque Regalia Majeſtatis Jura ac abſolutum dominium hæreditario & vere abſoluti Monarchæ titulo ac jure tenendum, poſſidendum. Qua etiam voluntaria ceſſione renunciatum cautoni a nobis datæ A. 1650. d. 18. Junii, nomine filii noſtri Principis CHRISTIANI, & proviſionali diſpoſitioni factæ A. 1651. d. 9. Junii, omniaque quæ in receſſu, ordinatione, aliisque legibus ac conſtitutionibus congruentia prædictæ capitulationi cum hæreditarii hujus noſtri & abſoluti Dominii jure pugnant, abolita abrogata; relictumque inſuper arbitrio noſtro Legem Regiam de regiminis forma, hæredumque in id ſucceſſione & Pupilli Regis tutela, regnorumque eo intervallo adminiſtratione ferre, promulgare, quam & futuram ipſis ac ſecuturæ ætati normam, totique poſteritati fundamentalis, æternæ, immutabilis & ſacro ſanctæ Legis reverentia colendam ſacramento ſancivere, neque turbandum unquam a ſe, poſterisve ſuis legitimum iſtud noſtrum hæredumve ſucceſ-

ſorum

ſorum Noſtrorum hæreditarii & abſoluti Dominii Jus, ſed defenſuros ſe id potius, propugnaturosque contra quoscunque indigenas, advenas, adverſus id clam palamve machinari quidquam ac moliri auſos, non opibus, non honori, non ſanguini heic ſuo parſuros, amicitias, inimicitias, ſpem, metum, comoda, incomoda, vim, dolum, nunquam ipſos hæredesve ac poſteros ipſorum debito juratoq; Nobis Hæredibusque & ſucceſſoribus Noſtris obſequio ac fide dimotura, quibus uti & aliis promiſſis ac pollicitationibus affectus ſui & piorum pro noſtra ſtirpisque noſtræ & communi proſperitate Regiminis votorum luculentum dedere indicium ac monumentum.

ERGO ET NOS tanta divinæ providentiæ benignitate moniti inſtigatique, ac tam promto pronoque in Nos ſubditorum noſtrorum obſequio affectuque moti, ad ordinandam Regiminis formam & ſucceſſionis Regiæ ſeriem abſoluto & hæreditario Regno convenientem, maturo & deliberato conſilio proceſſimus. Eumque in finem hanc LEGEM REGIAM condidimus, ſancivimus, ſicut & nunc, quod felix fauſtumque ac fortunatum eſſe jubeat Deus T. O. M. auſpicato condimus, ſancimus ac plenum ei auctoritatis noſtræ vulgorem & legis Regiæ robur accommodamus volentes jubentesque, ut poſteri & ſecuturi æterna ſerie Nepotes & quicunque hæc noſtra Regna Ditionesque inhabitant, hanc ipſam Conſtitutionem Noſtram

pro

pro LEGE fundamentali, æterna, immutabili, inviolabili æternum obſervent, venerentur, colant.

I.

Ita demum proſpere omnia procedunt, cum a DEO agendi primordia capiuntur. Proinde hæc prima ſucceſſorum Noſtrorum, Regum Daniæ Norwegiæque cura eſto, Deum rite colere, modo quo ſe verbo ſuo coli juſſit & Chriſtianæ Religionis priſtino nitori reſtitutæ formula Auguſtæ Vindelicorum A. 1530. palam exhibita diſerte docet; atque huic ſinceræ Auguſtanæ confeſſioni in his noſtris Daniæ Norwegiæque Regnis & annexis Ditionibus certa ſedes, & æternum domicilium eſto, præſidiumque in REGE tutum ac ſecurum adverſus omnes hæreticos, blaſphemos, atheos.

II.

Rex Daniæ & Norwegiæ ſubditis ſuis ſupremum in Terris caput eſto, ſupremus omnium controverſiarum tam in Eccleſiaſticis quam in ſecularibus negotiis arbiter, ſupra omnes humanas Leges auguſtiori ſorte evectus, & a cujus ſententia ad neminem niſi ad DEUM provocatio.

III.

Regi ergo ſuprema & liberrima condendarum legum poteſtas eſto; Leges figere, refigere, interpretari, interpolare, abrogare ſemper cum ita viſum illi fuerit, liceat, & generali quoq; legis edicto, rem perſonamve, quam volet eximere; in hanc Legem Regiam ſolam nihil liceat:

liceat; Hæc enim fundamentalis Lex eſt, baſis firma, immota & a nullo unquam mutanda aut ſolicitanda.

IV.

Omnia officia, cujuscunque conditionis auctoritatisve fuerint, ordinare, diſponere, mutare, tollere, hunc illumve ad quemcunque honoris dignitatisve gradum evehere pro lubitu, ac rurſus deponere, ſemper REGI liberum eſto, manifeſto cunctis argumento, omnia officia & quicquid eſt in officiis poteſtatis dignitatisve a ſuprema illa ac ſoluta legibus poteſtate & Majeſtate Regis a fonte & ſcaturigine derivari.

V.

Armorum ſupremum Jus, indicendi belli, ſanciendæ pacis, feriendorum ſolvendorumve fœderum, ſumma liberrimaque poteſtas penes Regem eſto, vectigalia quoque, tributa, oneraque alia ſubditis imponendi, quoties ita res poſcit, quandoquidem, uti cunctis notum, nec quies Gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt.

VI.

Eccleſiarum, Cleri, totiusque ordinis Eccleſiaſtici, omniumque adeo quæ ad ſacra ſpectant, ſupremus moderator & arbiter Rex eſto; Concilia, Synodos, Colloquia de religionis negotiis, indicere, prohibere ſemper liceat, & ut paucis multa complectamur, omnia

Rega-

Regalia, Majeſtatisque Jura, Rex unus ſolusque habeto.

VII.

Proinde omnia mandata, diplomata, Edicta, Reſcripta & quæcunque ad publica negotia pertinent, nullius niſi Regis nomine & ſigillo expediuntor eduntorve. Ipſe quoque Rex ſubſcribito, ſubſignatoque, ſi juſtam & legitimam ætatem attigerit.

VIII.

Juſta Regis ætas decimus quartus annus eſt; ſtatimque finito decimo tertio & inchoato decimo quarto majorem ipſe ſe declarato, ac Imperii habenas, nil jam amplius moratus tutores, ipſe propria manu capeſſito.

IX.

Tutela Regis pupilli adminiſtranda omnino uti id à Deceſſore Rege ordinatum & voluntas ejus hac de re literis ſcriptoque expreſſa, quam ſi ante obitum teſtatus non fuerit, tum iſthoc demum caſu Regina mater Regis pupilli ex ſe geniti tutelam cum auguſto Regentis titulo in ſe ſuſcipito, eique ſeptem Regii Miniſtri, qui inter cœteros officii ordine & dignitate eminent, adjunguntor. Hi deinde cum Regina regente communi conſilio Imperium adminiſtranto, ita; ut numeratis ſententiis major ſuffragiorum numerus vincat; & æqualia quidem ſeptem iſtis Tutoribus ſuffragia ſunto, ſoli Regenti duorum ſuffragiorum jus eſto: omniaque publica negotia ſolius Regis nomine expediuntor, ejusque titulum

præ-

præferunto, ſubſcribentibus licet Regente, cœterisque Tutoribus.

X.

Mortua Regina Matre, aut ad ſecundas Nuptias tranſeunte, proximus ſanguinis Regii e ſtirpe noſtra Princeps, hic in Regno præſens commeraturusque Regens eſto, modo juſtæ ſit ætatis, hoc eſt decimo ſeptimo finito & decimo octavo ingreſſus, duorumque item ſuffragiorum jus habeto. Cœtera ut præcedente Paragrapho dictum.

XI.

Si nemo Regii ſanguinis e noſtra ſtirpe Princeps exiſtit, aut ſaltem minor, tum illi 7. ſupremi Regii Miniſtri Imperium Tutelamque ſoli gerunto, adminiſtranto, æqualium jure ſuffragiorum, parique poteſtate, modo quo ante dictum.

XII.

De ſeptem illis ſupremis Miniſtris ac Tutoribus, ſi quis interim fato functus, cœteri alium ſtatim in ejus locum ſufficiunto quique in ejus officium ſucceſſerit, etiam in tutelæ munus ſuccedito.

XIII.

Regens Tutoresque cœteri ſacramento ſe obſtringunto Regi, jurantoque ſe ita rem pupilli Regis, publicaque negotia geſturos curaturosque, ut ne quid Majeſtas Regis, & abſoluti Dominii, ac hæreditarii juris ſplendor detrimenti capiat, facturosque ut deinceps cauſam ſuam probare DEO Regique poſſint.

XIV.

XIV.

Tutorum mox prima cura eſto inventarii accurata confectio. Hoc velut breviarium totius Imperii erit, quantum Provinciarum, arcium, caſtellorumque, Regnorum ambitu comprehenſum, quantum militum ſub ſignis terra marique, quis armarmentarii, quis claſſis ſtatus, quantum pecuniæ in ærario, qui reditus annui, quæ impenſæ, quæ accepti & expenſi rationes, & ſimilia, ut inde quo rerum ſtatu ad gubernaculum acceſſerint, pateat & adminiſtrationis ratio conſtet, quam utique ſtatim finita tutela h. e. Rege annum ætatis decimum quartum ingreſſo, ſine ullo excuſationis quantumvis ſpecioſæ prætextu Regi reddunto.

XV.

Nulla igitur interregni poſthac in noſtris ditionibus mentio, neque unquam Rege ac Capite deſtituta cenſebuntur hæc regna, dum quidem e ſtirpe Noſtra & deſcendentibus a nobis lineis quiſquam ſuperſtes, ſolium Doceſſoris morte vacuum, protinus ille, qui linearum ordine ac ſerie proximus, conſcendito, occupato, ſtatimque Rex eſto, eodemque momento ſupremum illud ac liberrimum & hæreditarium ſolutæ legibus poteſtatis Jus & abſolutum dominium, habeto, teneto.

XVI.

Et quamvis virtute factæ ſemel ob ordinibus & populo univerſo voluntariæ ceſſionis, qua communi omnium conſenſu Nobis & a

Nobis

Nobis per lineas utriusque ſexus deſcendentibus collatum abſolutum Majeſt. Jus, ſtatim Rege mortuo, eodem momento, uti paulo ante dictum, qui in lineæ ſerie proximus, auguſtum Regii nominis decus, diadematis ſceptrique honorem, abſolutum Dominium, omniaque cœtera Majeſtatis Jura & Regalia, Nobis Noſtrisque hæredibus debita adipiſcatur; naſcendi pretium & devolutum ad ſe ſanguinis Jure hæreditario æterno, non ſuffragiorum temporario favore, ita ut nulla alia ſolenni traditione opus ſit: nihilo tamen minus, ut videat orbis Reges Daniæ ac Norwegiæ hoc imprimis ſibi honori ducere, Auguſtum Majeſtatis apicem DEO ſubmittere & inclinare, hoc maximarum virium & invicti propugnaculi habere loco, divino muniri auxilio, & unctos ac velut conſecratos DEO antiſtites manu plenum numine pectus & divini ſpiritus opem ad decumanum imperii pondus ſuſtinendum afferre, merito priſcum illum & receptum ungendi morem ritumque retinendum cenſemus, ut & REX velut arctius cum DEO, cujus hic in terris vicem fungitur, fœdus initurus ſacro oleo ungatur.

XVII.

